

02 H 1003



PER  
L

IO  
L

FR

L



DISSERTATIO IVRIDICA,  
QVA  
**VXOR ROMANA**  
PER PROPTER NVPTIAS DONATIONEM  
DE ALIMENTIS SECVRA TANTVM,

PRAESIDE  
**IO. GOTTL. HEINECCIO, IC.**

POT. PRVSS. REGI A CONSIL. INT. ET IVR.  
AC PHILOS. P. P. ORD.

INCLVTI ICTORVM ORDINIS H. T. DECANO

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA

A. D. MAII MDCCL.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
SISTITVR

AB A. R.

**FRIDERICO SIGESMVNDO Wisleben,**  
IVR. STVD.  
QVERFVRT. SAXONE.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

DRUCKT IN DER DRUCKEREI

1774

# VON ROMANA

IN DER DRUCKEREI IN WÜRZBURG  
BEI ALBERTUS SEBASTIANUS

FRANZISKE

## O. GOTTL. HEINRICHO, 16

1774

AD ALBERTUM SEBASTIANUM

INSTITUTUM UNIVERSITATIS WÜRZBURGENSIS

FRANZISKE

AD ALBERTUM SEBASTIANUM

INSTITUTUM UNIVERSITATIS WÜRZBURGENSIS

1774

16

## EDRICO SEBASTIANO

1774

AD ALBERTUM SEBASTIANUM

FRANZISKE

AD ALBERTUM SEBASTIANUM

co  
n  
ft  
in  
ta  
ta  
q  
m  
ru  
br  
m  
de  
q  
ti  
fo





CAP. I.  
IVRIS CIVILIS DISPOSITIO CIRCA PROPTER  
NVPTIAS DONATIONEM.



§. I.  
ciennium est ex quo primum con- *Instituti ra-*  
stitui, quasdam conscribere plagulas *tio.*  
de donatione, quam PROPTER NVPTIAS  
ICri cum legibus vocant; sed mens du-  
bia diu haesitavit in eo, ne agerem actum  
aut, quod vulgo dicunt, Iliada com-  
ponerem post Homerum. Quot enim  
IPeritorum prodierunt libri, tot ferme

commentarii huius tituli extant, et differentium coetus quoties  
non verba conferuit de eodem themate? vnde solem negaret ex-  
flare, qui hoc illis argumentum adnumerandum esse existimaret,  
in quibus elucidandis oleo pepercerint interpretes. Inter omnes  
tamen, quos haecenus evolueret licuit, nullum potui inuenire  
qui paullo curatius inuestigando genuina donationis huius funda-  
menta, a praesenti tractatione mihi fecisset otium; cum pars eor-  
um vel alienis fuerit immorata, alii vero, nimia qua vsi sunt  
breuitate, lectorum situm accenderint magis, quam restinxerint,  
nullibi fateor, me inuenisse, quod potuisset animi explere desi-  
derium discendi cupidi. Ergo me ipsum consuluisse iuuabit forsitan,  
quamuis magna magnorum nomina obstant, alia atque alia sentien-  
tium circa hoc negotium; quae res, si non a vero auertere animum  
feribentis, haud parum sollicitum tamen possit efficere. Interim

A

senten-

2 VXOR ROMANA PER PROPTER NVPTIAS

sententiam meam, cuiuscumque etiam sit ponderis vel pretii, exponam; quum nec tarpe fore putem, si praestantiores me superent, et magis iucundum, si probaueriat.

§. II.

Quum enim in tanta ingeniorum diuersitate, raro contingat: rem quandam eadem omnes aestimatione metiri; hinc mihi aliorum facile promitto veniam, si forsam quaedam sum in medium prolaturus, quae haud vsque quaque videantur eorum opinionibus conuenire. Sunt enim scientiae ita, natura sua, comparatae, ut quilibet earum studiosus plena libertate gaudeat: an cognitos calles et iam ab aliis tritos sectari velit? num vero, illis relictis, nouas vias quaerere, magis forsam continuas breuiioresque anfractus habentes? dummodo cogitet, suo se periculo iter facturum, nec alicui, ut eius vestigia premant, cogi inuitos posse. Qua igitur libertate sentiendi fueris vsus, eandem quoque aliis haud grauate concedas, eiusdem tecum iuris et sensus.

§. III.

*In auctores p.  
n. donationis  
inquiritur.*

Sed confero me potius ad tractationem ipsius, de qua acturus sum, rei; in qua ne aliquid a me neglectum esse videatur, primo statim loco inquirere oportet: quo primum tempore DONATIO PROPTER NVPTIAS sit inuenta et cuiusnam suam potissimum originem debeat? Triboniani in §. 3. I. *de donat.* verba sunt: *Est et aliud genus inter viuos donationis, quod veteribus quidem prudentibus PENITVS erat incognitum, postea autem a DIVIS IUNIORIBVS PRINCIPIBVS introductum est, quod ante nuptias vocabatur &c.* qui vero iuniores illi principes fuerint, quorum in cit. §. fit mentio, inter eruditos ad nostra vsque tempora ambigitur, quum neque Theophilus, neque alius quisquam eorum nomina prodiderit, satis forsam illis nota, quamuis a nostra memoria recesserint, ob tot seculorum interuallum. Aemilius Ferretus ad Diocletianum et Maximianum imp. referenda esse haec verba censuit, Contius vero cum Aegidio Hortensio Constantinum M. auctorem laudat. Hos omnes tamen nubem fuisse amplexos pro Iunone, clarius patebit ex illis, quas mox adducam, rationibus.

*Ferreti sententia.*

*Antonii Con-  
sili.*

§. IV.

DONATIONEM DE ALIMENTIS SECURA TANTVM. 3

§. IV.

Quantum enim ad priorem attinet, iste videtur assertio-  
 nis suae fundamentum posuisse in l. 23. C. de donat. int. vir. et vxor. licet opinio.  
 quo autem iure, id textus ipsius legis declarabit optime: *Impp.*  
*Diocletianus et Maximianus AA. Caecilianae. Si te in vltimam pos-*  
*sessionem praedii socrus tua, titulo donationis, ante matrimonium*  
*vel post, induxit; ad rescindendam donationem poenitentia nihil*  
*proficit.* Cui vero hic obscurum est, verba: *titulo donationis*  
 ANTE MATRIMONIUM bono Ferreto fixisse crucem lapsusque ei  
 causam extitisse? si enim distinctionis signum posueris post ver-  
 bum, *matrimonium* demum, quod in editionibus corporis iuris  
 ciu. communiter factum fuisse deprehendi, de *donatione ante nu-*  
*ptias*, vti olim vocabatur, hic sermonem esse posset videri. Sed  
 rem iustiori iudicio aestimantibus, facile apparebit diuersitas inter  
 imperatorum sententiam et nostri interpretis, male tunc amati a  
 Themide. Nam, nisi valde fallor, illorum mens est: nihil re-  
 ferre, num donatio, de cuius tunc validitate mota quaestio erat,  
*ante vel post* contractum matrimonium facta fuerit, dummodo de  
 traditione constaret, necessaria eo tempore in omnibus huius ge-  
 neris negotiis vniuersim. Ergo de *donatione simplici* isti debent  
 intelligi, neutiquam vero de illa *ante nuptias*, cuius hic vestigia  
 reperiri frustra Ferretus sinit.

§. V.

Antonius Contius credidit, origines eius meliori iure re-  
 ferendas esse ad Constantiniana (\*) tempora, quod probare niti-  
 tur l. 15. C. de donat. ante nupt. in qua de ista actum fuisse sibi per-  
 suaasit. Sed pridem obseruarunt Icti, aliam nullam ibi, praeter  
 donationem communem vel simplicem, pariter reperiri, vid.  
 Vinnius ad §. 3. *Inst. de donat.* p. 246. Acquisuisse enim mu-  
 lieres rerum a sponsis donatarum plenum dominium et possessio-  
 nem, haud ambigue ex ipsa lege colligitur; quamuis sub condi-  
 tione futurarum nuptiarum huiusmodi donationes fuisse factas sa-  
 tis constat; quamobrem etiam reuocari poterant, si, donatarii  
 culpa, istae haud subsecutae essent, alias vero minime, vti hoc

*Ant. Contii  
 sententia qua-  
 re relinquen-  
 da?*

verba cit. legis satis aperte docent. Sed quid de *propter nuptias donatione*? ibi constante matrimonio, *regulariter* mulierem neque plenum dominium habuisse, nec possessionem aut usumfructum ex l. 29. C. de iure dot. et *Nouella LXI.* optime monstravit *Illustr. Dominus PRAESES* Part. IV. §. 19. π. Praeterea in cit. l. 15. C. de ant. n. donat. fit quoque mentio donationis a sponsa sponso factae eodemque ista, quo prior, aestimatur iure. Quum vero *ante nuptias donationes* sponfarum, in sponfos collatas, ius civile ignoret; nemo non videt legem hanc ad nostrum thema plane non pertinere.

(\*) Iustinianus quidem in *Nouella XXII.* c. 14. allegat quandam Constantini M. legem, cuius extrema verba *antenuptialis donationis* expressam mentionem faciunt; vnde Contii coniecturae haud parum roboris accedere videtur. Sed salua res est. Conferas enim sis, l. 7. C. de repud. vbi ista Constantiniana constitutio reperitur tota, vti quidem puto, verum ibi nihil deprehendes, quod suffragaretur Contio. Vnde Tribonianus, vel quicumque hanc Nouellam conscripserit, videri posset egisse pro more suo in ea consignanda, adglutinando scilicet antiquae legi rem, cuius origo centum annis post demum quaerenda; nisi forte dicere malimus: Iustinianum per modum restrictivae interpretationis, verba haec adiecisse in cit. Nouel. ad praecauendum lites et dubia, quae metuenda erant alias super quaestione: *num mulier, bona gratia, a viro discedens, cum dote et p. n. donationem lucrari debeat?* quod vltimum illi negavit imperator. Ceterum optandum esset, vt haec Constantini lex in Codice Theodosiano exstaret, vbi desideratur tamen; facilius inde decisio potuisset peti, num interpolata fuerit, nec ne? prius tamen factum fuisse ex eo apparebit, si inferius monstratum dederò, donationem a. nupt. V, demum seculo inuentam ac deductam in usum esse.

## §. VI.

Illi etiam, qui l. 4. C. de incest. et inutil. nupt. hanc donationem inesse credunt, caueant sibi ne, cum supra §. 3. sq. adducto Ferreto, similem experiantur casum; verba enim legis:

Dionys. Gothofredus.

*sive ANTE NVPTIAS donatum sive DEINCEPS quoquomodo datum fuerit, aliam interpretationem quam de simplici donatione, neutquam videntur admittere; quod formula: sive deinceps, quae tempori praecedenti opponitur, haud obscure declarat.*

Doleo



Deleo Dionysium Gothofredum, Ictum caeteroquin acutissimum, has syrtis non cuitasse, vnde potuisset facile eluctari, nisi nimia animi festinatio, in vniuersum Ius Ciuile commentarium meditantis, non notae obliuisset scientiae. Denique l. 4. C. de *secund. nupt.* non maiori, quam prior, iure huc referri meretur. Mentio in ea fit, *sponsalitiarum largitatis*, quam Gothofredus iterum de p. n. donatione accepit, vti ex eius cit. l. subiectis notis apparet. L. 2. C. h. t. de bonis quae vxor a priore viro, *sponsalium iure*, fuerit consecuta, loquitur; auctores habet Gratianum, Valentinianum *iuu.* et Theodosium. Gothofredus denuo putat, sermonem hic esse de nostra *donatione nuptiali*. In partes suas trahit Nouellam Valentiniani; cuius sententiam quoque *V. Cl. Christianus Gothofr. Hoffmannus*, Antecessor quondam Hoffmannus. in Academia Francofurt. suam fecit in dissert. *de donat. propter nupt.* §. III. nota C. Sed vero Romanis his veniebant nominibus *arrahae sponsalitiarum* (\*) aliaque dona et munuscula, quae Graeci *ἐπάλια, δωρεαί, προσφθετήρια, διαπραθήρια* &c. nominabant (\*\*) a sponsis vel nouis maritis in sponsas collata longaque diuersa a nostra p. n. donatione. Ipse Iustinianus in *Nouell. XXII. c. 23.* ab init. discrimen hoc inter vtrumque donationis genus monstratum dedit; quod, si harum vocum synonymiam agnouisset absolutam, minime eum facturum fuisse arbitror, (\*\*\*) Ceterum has leges 2. et 4. C. de *sec. nupt.* optime explicat intermedia lex. 3. eod. tit. vbi Augusti edixerunt: *Fœminae, quae susceptis, ex priore matrimonio, filiis, ad secundas (post tempus iustitiae statutum) transferint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum SPONSALIVM IVRE, quicquid etiam NVPTIARVM SOLENNITATE perceperint, aut quicquid m. c. donationibus factis, aut testamento iure directo, aut fideicommissi vel legati titulo, vel cuiuslibet munificae liberalitatis praemio, ex bonis (vt dictum est) priorum maritorum fuerint adsecutae, id totum ita vt perceperint, integrum ad filios, quos ex praecedente coniugio habuerint, transmittant &c.* Produunt vero haec legis verba, longe tunc alia dona, tam sponsaliorum, quam nuptiarum tempore, in vsu Roma-

## 6 VXOR ROMANA PER PROPTER NVPTIAS

nis fuisse, quibus sponsas ornauerint, quorum tamen nullum genus commode ad a. n. donationem possit referri. Generali vero ista sponsalitiæ largitatis signabant tunc nomine; quod quamvis recentiori ævo *nuptialem interdum donationem* comprehenderit, uti in nota (\*\*\*) dicam, tamen id semper et ubique factum est minime; verum in eo, uti in aliis pluribus, legum diuersarum temporumque ratio habenda omnino. Nam si Gothofredi cedendum sententiæ esset, ex l. 2. et 4. citatis iam inferentis p. n. donationem, superuacanea posset videri l. 5. C. h. t. ubi demum THEODOSIVS *iuuor* id, quod præcedentibus de sponsalitiæ largitate, liberis seruanda in casu secundarum nuptiarum, vel ipsæ vel patruus eius et auus præceperant, ad a. n. donationes extendit. Ad quam procul dubio legem Iustinianus respexit *Novella XXII. c. 29.* quamvis Gothofredus in not. ad h. c. crediderit: imperatorem l. 4. tit. eod. in mente habuisse; sponsalitiæ largitatis scilicet significatu iterum illusum.

\*) Pertinuit huc non *annulus pronubus* tantum, quem sponsus dare solebat sponsæ, quum certis adhibitis solemnitatibus, sibi inuicem promitterent matrimonium, de quo ritu intelligendus est PAVLVS in l. 36. §. 1. ff. de donat. int. vir. et vxor. et IUVENALIS Sat. VI. v. 25. sqq.

*Conuentum tamen et pactum et sponsalia nostra  
Tempestate paras, iamque a consore magistro  
Pefferis et DIGITO PIGNVS fortasse dedisti.*

verum consiliebant in aliis quoque rebus, talibus imprimis, quæ ad mundum muliebrem spectabant. Docet hoc vltimus locus insignis Iulii CAPITOLINI in vita Maximini iun. c. 1. *Desponsata illi erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini, quam postea accepit Toxotius, eiusdem familiae senator, qui periit post præturam, cuius etiam poemata extant. Manserunt autem apud eam ARRHÆE regiae, quæ tales fuerunt, ut Iunius Cordus loquitur, ex iis, qui harum rerum perscrutatores fuisse dicuntur: monolium de albis nouem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas et omnes regias ceteraque insignia sponsaliorum.*

(\*\*) Varias Graecorum appellationes explicuit Iul. POLLVX in *Onomast.* lib. III. segm. 36. sqq. Moribus enim receptum erat Romæ, ut sponsis, altero nuptiarum die, a maritis darentur dona quaedam, delibatae virginitatis proemia, vel pro prima nocte, qui mos est scriptoribus loquendi. Virgini ergo, non viduæ, danda erant,

*dicæ*

διὰ τὴν τιμὴν τῆς καθ' ἑαυτὴν: vt loquitur HARMENOPVLVS *Prompt.*

V. §. 7. quae vt distinguerent Graeci ab aliis muneribus, *θεώματα* vocabant. Erat autem Theoritri quantitas in singulas libras dotis semi aureus. Idem ib. §. 9. vid. III. HEINECCI *Antiq. Rom.* lib. II. tit. VII. §. 18. Num olim quoque in auro consistere tantum, an vero in aliis interdum rebus, vt arrhae, mihi nondum satis liquet. Auri tamen signati mentionem etiam IUVENALIS facit. Sat. VI. v. 203. *sq.* hac de re ita scribens:

- - - Nec illud

*Quod prima pro nocte datur, cum lance beata*

*Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.*

*Ita mallem legere pro SCRIPTOR, quod FARNABIANA editio cum aliis habet pluribus. Insolens enim poetis haud est, vt SCRIBERE moneta[m] dicant, pro SIGNARE; in quo Iuuenalis videtur Virgilium voluisse imitari Eclog. III. v. 106. fgg.*

*Dic, quibus in terris INSCRIPTI nomina regum*

*Nascantur flores.*

*Hoc est, numi Augusti Caesaris, a Floro, trium viro monetali signatis quorum in parte auersa stas erat expressus. Exhibet horum aegyptum Hubertus Golzius in Augusto Tab. XXXV. n. 20. et Biacus in Iconib. imper. ad Anton. Augustinum. Quamuis etiam Seruius, notissimus Virgilli scholiastes, istud aenigma interpretari de hyacintho maluerit, cuius in foliis prima littera Hyacinthi, H. exprimitur; verba tamen poetae: NOMINA REGVM, ad Hyacinthi fabulam minus quadrare videntur; melius Augusto conueniunt, ad cuius captandam benevolentiam ea scripta puto; consilio satis vafro, cum regis appellationem iste publice suscipere, alius semper horruerit.*

(\*\*\*) Notanter a me dictum, sponsalitiarum largitatem et a. n. donationem pro absolute synonymis non habuisse Iustinianum; alias enim notum: quod idem *Notella* CXIX. et alibi tam latum prioris vsum agnouerit, vt nostrae donationi applicuerit aequae hoc nomen. Ex cit. *Notella* XXII. tamen satis elucet, semper et vbique imperatorem nostrum ita neutiquam locutum esse. Itaque quum a. n. donationis origines ante annum Christianae aere CCCCXXXIX. nullibi appareant, qua de re in §. sequenti nobis agendum erit, Gothofredi sententia, ex lege, sex annis ante lata, huc trahentis sponsalitiarum largitatem, maximis dubiis nunquam non erit exposita. Si enim temporum diuersitatis vnquam habenda est ratio, potissimum eam necessariam iudico talium vocum interpreti; cuius alias in errores pronus erit labor.

§. VI.

§. VII.

*Veri auctores  
laudantur.*

Mallet itaque donationis huius inuentum vindicare THEODOSIO iuniori et VALENTINIANO III. Augustis, qui eandem introduxisse videntur A. Ch. CCCXXIIX. Tauro et Felice Coss. constitutione ideo promulgata singulari directaque ad Hierium (\*) tunc praefectum praetorio Orientis. Pars illius est l. 17. C. de douat. ante nupt. cum aliis quibusdam (\*\*), neuiquam vero integra ad nos peruenit, vti hoc illa, quae supersunt, fragmenta fati-  
tis clare docent. Inde minime mirandum, si nullam in istis rationem inueniamus, qua imperatores permoti, ad illam peruenerint. Aliunde ergo hanc repetendam esse Icri censuerunt; quorum maxima pars, si non omnes, animo inclinavit eo, vt crederent: imperatores dotium habuisse curam, inque harum vnice securitatem donationis hoc nouum genus inuenisse. Sed venia sit audaciae, vt renuntiem opinioni a tanta eruditorum cohorte tandiu defensae. Vt enim taceam: quod nullus in toto iure ciuili existet locus, qui assertioni huic indubitatum ferret suffragium; certe haec cautio superflua videbitur reputanti, quod Iustinianus in l. 12. C. qui potior. in pignor. vxoribus, dotium intuitu, tacitam concesserit hypothecam in omnibus maritorum bonis, ipsis quoque tempore anterioribus hypothecis praefereendam. Idem tamen priuilegium ad a. n. donationes minime extenditur, §. 2. cit. legis ratione ab Augusto adducta: *non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur suisque rebus defraudentur, curamus.* Altum silentium de pignore in securitatem dotis; hoc enim si sustinuisent hae donationes, dotium quoque priuilegia debuissent in illas transferri, ipsis feliciter dotibus profutura. Quidam prouocant ad l. 29. C. de iure dot. ad hanc inde stabiliendam sententiam. Sed vereor, ne hac ipsa lege probari contrarium possit. Iuvat hic eam integram exscribere: *Vbi adhuc matrimonio constituto, maritus ad inopiam sit deductus et mulier sibi prospicere velit, resque sibi suppositas pro dote et ante nuptias donatione, rebusque extra dotem constitutis tenere, non tantum mariti res ei tenenti, et super his*  
ad

*Finis p. n. do-  
nationis num  
dotium secu-  
ritas?  
Quod nega-  
tur.*

*Probatum id  
ex L. 29. C. de  
iure dot.*

ad iudicium vocatae, exceptionis praesidium, ad expellendum ab hypotheca secundum creditorem praestamus. Sed etiam si ipsa contra detentores rerum, ad maritum suum pertinentium, super iisdem hypothecis aliquam actionem, secundum legum distinctionem, moueat, non obesse ei matrimonium adhuc constitutum sancimus; sed ita eam posse easdem res vindicare, vel a creditoribus posterioribus, vel ab aliis, qui non potiora iura legibus habere noscuntur, ut potuisset, si matrimonium eo modo dissolutum esset, quo dotis et ante nuptias donationis exactio ei competere poterat: ita tamen, ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi, viuente marito et matrimonio inter eos constituto: sed fructibus earum ad sustentationem, TAM SVI, QUAM MARITI FILIORVMQUE, si quos habet, ABVTATUR. Creditoribus scilicet mariti contra eum eiusque res, si quas postea forte acquisierit, integra sua iura habentibus, ipsis etiam marito et uxore post matrimonii dissolutionem super dote et ante nuptias donatione, pro dotalium instrumentorum tenore, integro suo iure potituris. Dat. III. Idus Decembr. D. N. IVSTINIANO Aug. II. Cos. Initio statim imperator sanxit: vxores, Cuius exami-  
natur ratio.  
moto concussa, e bonis mariti, praeter dotem, et res pro a. n. donatione suppositas vindicare posse. Quis autem creditori concederet, a quo in hoc casu vxores haud differunt, ut hypothecam cum sorte credita auferret simul? alterutro enim illum oportet esse contentum. Vnde satis liquet: aliam causam subesse, cui huius rei debentur origines. Isidorus lib. IV. Orig. c. 24. illam donationem pro reliquiis habet veteris in manum contentionis per coem- Isidorus aliam  
causam ad-  
duxit.  
tionem, de qua, vxorem emtam esse a viro, ut in familiam et sacra eius transire posset, proditum est. Sed eius opinionem refellit iam V. Cl. GRYPEN in eleganti et docto libello de Vxore Romana cap. V. §. 18. ut ampliori disquisitione huius rei superfedere possimus. quae reicitur.

(\*) Hoc anno Hierius praefectus praetorio Orientis fuit vna cum Florentio, quod variae legum inscriptiones docent. Anno praecedenti 427. idem hanc praefecturam et consularum simul gesserat cum Ardabure, restante id, praeter fastos et leges, CHRONICO Pasibaldi suae Alexandrino p. 314. edit. Paris. Vocatur ibi *δισ' ἐναρξας*, quod

quod interpret latinus per *praefectum urbi* transtulit, ut opinor, immerito; quamvis videatur ex l. 7. C. *de numerar. actuar.* iste praefecturam urbis Constantinopoleos A. 426. gessisse; tamen l. 6. C. *de diuers. offic. et apparit. iudic. &c.* quae prioris pars fuit quondam P. P. habet, qua cum conueniunt l. vn. C. *ne sine iussu princip. cert. iudic. &c.* et l. ult. C. *de bonis proscriptor. &c.* quae initio statim anni 426. latae. Eo munere adhuc functus est A. 432. quod prodit l. 4. C. *de his qui ad eccles. conf.* Licet enim in Codice Iustiniano pro Hierio legatur Imperio, in Theodosiano tamen recte se habet eius nomen, ubi haec lex in ordine est 16. h. t. In Fastis Idatianis scribitur quidem *Pierius*, sed manifesto, ut videtur, errore; quum nulla alia monumenta hanc scripturam defendant. Num vero praefecturae huic diutius praefuerit, non adeo liquet. Certe haud confundi cum eo debet, qui sub Anastasio imp. vixit et cuius sit mentio in inscriptione l. 16. C. *de testam. milit.* Assertioni enim tali nimia temporis intercapedo omnem auferret fidem; nisi quis nostrum, patriarchali senecta conspicuum fuisse, malit contendere. Ceterum ex quo praefectis praet. praeter imperium in milites, ad augustale praesidium, electos, mandata quoque ciuiliu caussarum cognitio fuerat et iudiciorum directio; haud raro contigit: vt togae locus, in castris etiam daretur et ICti iussa expectaret tribunus. Sic Papinianum, ICtum maximum, nouimus a Sept. Seuero huic admodum muneri, *Xiphilin* lib. LXXVI. quem, moriturus, etiam tutorem reliquit filiorum Caracallae et Getae *Zosim.* lib. 1. c. 9. De Macrino praefecto praet. antequam ad imperiale fastigium ascenderet, *Herodianus* lib. IV. c. 12. prodidit: ὅτι τῶν ἐν ἀγορᾷ ἐκ ἀπειρας εἶχε, καὶ μάλιστα νόμων ἐπισήμης. Flavianum et Chrestum, qui hanc spartam ornarunt sub Alexandro, haud expertes fuisse iurium scientiae, indicare videtur *Zosim.* lib. I. cap. XI, scribens: fuisse eos ἀνδρας τῶν τε πολεμικῶν καὶ ἀπειρας, καὶ τὰ ἐν οἰκῆν διαθέσθαι κοιλῶς ἰκανῆς. Horum officii quoque particeps erat Vlpianus, a Mammaea matre imperatoris, collega illis datus, quamvis carebat initio praefecti nomine, quod tamen mox solus obtinuit. Idem c. l. clare hoc sequentibus innuit: μαμαίαις δὲ, τῆς τῆ βασιλεύως μητρὸς, ἐπισησάσης αὐτοῖς Οὐλπιανὸν ἐπιγνώμονα, καὶ Ὠσπείρ κοινῶν τῆς ἀρχῆς, scilicet magistratus VELVTI consors erat, quem praefecti praet. gerebant; vti ego quidem haec verba accipio cum Leunclauio. Et paullo post: Κύριος τῆς τῶν ὑπάρχων ἀρχῆς Οὐλπιανὸς καὶ θίσταλαι μῆνος. Non dubium est, quin plures huius generis tempora sequiora tulerint, quorum tamen iam perscrutari

DONATIONEM DE ALIMENTIS SECVRA TANTVM. II

tari nomina haud vacat. Forſan iisdem noſter Hierius accenſendus foret, de quo vero, in teſtimoniorum omni defectu, nihil certi definire auſim.

(\*\*) Conſtitutionem hanc ſatis prolixam fuiſſe, ex fragmentis conieſtare licet, quorum quaedam vterque Codex conſeruauit nobis; plura periſſe quoque, ex illis ſuſpicor, quae ſuperſunt. Nihil enim in hiſce reperitur de introductione a nupt. donationis, quam tamen antiquiora ſibi tempora vindicare poſſe deſpero. Id tamen ideo factum fuiſſe puto, quoniam noſtra conſtitutio Codicis Theodoſiani compilationem duobus luſtris praecceſſit. Namque hunc A. Ch. CCCCXXXIIX. collectum demum III. Dominus HEINECCIUS in *Hiſt. Iur. lib. I. §. 311.* docuit, quo tempore procul dubio iam a. n. donatio vbique cognita fuit. Non ergo mirandum, ſi collectores quorundam ſſ. omiſerint ex hac conſtitutione, in quibus enarratum forſan nouum donationis titulus inuentum; quod tamen matres, ſub hac lege ductae, iam nouem annorum filias ipſae potuerint edocere, ſi hosque patres, qui vxores duxerant nouo iure. Damus interim hic indicem fragmentorum, in quibus colligendis otium nobis fecit doctiſſimus Jacob. Gothofredus, qui iam eundem exhibuit in chronologia Codici ſuo Theodoſiano praemiſſa ad annum Chr. 428. vnde huc illum tranſtulimus:

L. vn. C. Theod. de omiſſa act. impetr.

L. vlt. ibid. de ſponſal. et a. n. donat.

L. vlt. ibid. de nupt.

L. vlt. ibid. de dotib.

L. vlt. ibid. de natur. filiis.

L. vlt. ibid. de legat. hered.

L. ii. C. de hered. inſtit.

L. 2. de bonis quas liber.

Habeo tamen quare dubitem: num omnes enumeratae leges huc pertineant? quamuis Gothofredus id crediderit, fidem Mſſ. ſecutus et ſubſcriptiones. Enimvero ſi id concedere vellem Gothofredo, nec eſt Theodoſium, in hac lege, res iuſto plures coniunxiſſe, nimiaque diuerſitate ab inuicem discrepantes; quod vix tamen potuiſſet fieri abſque conſuſionis periculo, nec facile ſui haberet, in iure noſtro, exemplum. Namque imperator egieſſet ibi non tantum de dotibus; a nupt. donatione et pactis dotalibus; in quibus mihi ſaltem ſubſtituiſſe videtur: verum de ſimplicibus quoque donationibus; de ſucceſſionibus heredum ab inteſtato; de ſucceſſione liberorum naturalium; de ſucceſſione coniugum ſive de edicto: vnde vir et vxor &c. quale quid omnem prope modum ſuperat fidem. Rem tamen in planum poſſe deduci ita ſaruo. Ipſe Gothofredus obſeruauit iam l. 29. C. de donat. deſum-

ptam esse ex *L. ult. C. Tb. de legit. hered.* sed confecta est haec *L. 29. d. XI. Calend. Maii*, Tauro et Felice Goff. quod subscriptio prodit, non autem *d. X. Calend. Mart.* quo nostra de a. n. donatione constitutio publici facta iuris est. Inde conicio *l. ult. C. Tb. de natur. fil. l. ult. eod. de legit. hered. et l. extraneum C. de hered. instit.* quarum themata propius inter se sunt cognata, quoad diem et mensem, in subscriptionibus, corruptas esse. Hoc si verum, duas constitutiones fuisse iam constat, quarum prior *d. X. Calend. Mart.* posterior vero *d. XI. Calend. Maii* ad eundem fuerat directa, in rebus vero tractandis tantum diuersae inter se, quantum

Eurus distat ab austro.

Accedit, quod *l. extraneum* cit. iam diem XI. ostendat, loco autem verbi *Maii, Mart.* adiecto puncto, in Codice Iustin. reperiatur; quod descriptorum oscitantia factum esse, nullus dubito. Difficilius tamen expeditur est, quo *l. vn. C. Tb. de omisso action. imper.* referri debeat? Habet quidem subscriptio in hoc codice *X. Calend. Mart.* sed in Iustiniano, ubi est *l. 2. de form. X. Calend. Maii* apparet, sed cui magis accommodanda fides sit, vix definiendum esse videtur. In tanta igitur ambiguitate mallem hanc legem nostrae constitutioni accensere, in qua de a. n. donatione scilicet actum, quam alteri, Theodosiani codicis scriptura pro genuina agnita. Neutriquam enim puto, fore ab omni probabilitate alienum si dicam: dotales primo actiones, hoc privilegio distinctas fuisse a reliquis, ne certis formulis adstringerentur ob insignem dotium, olim in Latio, fauorem. Quod tamen extensum postea ad omnes vniuersum, ob nimis magna formularum pericula.

### §. VIII.

*In veram  
causam et fi-  
nem p. n. do-  
nationis in-  
quiritur.*

Causis vero donationis huius nuptialis, quae aliis placuerunt, ommissis eam saltem exponam, quam duce historia licuit eruere. Saepius enim eueniebat olim, ut mariti mali bonorum administratores essent, Romanorum luxuria indies fere crescente, ex eo inprimis tempore, quo respublica stipendiario et saepe barbaro milite uti coeperat, ciuibus interim ingloriis exigentibus aetatem. Digna sunt lectu, quae Zosimus de Theodosio M. imperio et ingeni tunc facta morum mutatione prodidit lib. IV. c. 33. et 41. qui quamvis, furis paganismi eum stimulantibus, causam istius in piissimum ac fortissimum imperatorem reiecerit, ac si subditos suo corruerit exemplo; cuius tamen temperantiae, praeter Christianos, ipsi gentiles testimonium perhibent, uti *Symmachus lib. II. ep. 13. Aur. Victor in epit. et Themistius*

*Orat.*



Orat. V. tamen populorum peruersam vitae rationem, tunc vfitatam inter eos, redarguere haud immerito videtur, quum neque veteris ecclesiae doctores eam reticeant. Inde haud deerant exempla virorum, qui maximis opibus, pauco tempore, euerfis, ditiorum sibi deponere sportulas cogebantur, vel vxoris socerique bona comedere, haud sine graui dispendio reipublicae. LL. dotes introduxerant, satis prouidenti consilio, ne scilicet omnia matrimonii onera in solos maritos deuoluerentur, verum vt eorum partem vxor quoque sentiret, quorum ex parte causa esset, L. 7. pr. L. 56. §. 1. L. 76. ff. de iure dot. L. 20. C. b. t. Metuendum enim erat, ne alias matrimonia minus iucunda redderentur et ob hoc ipsum parum frequentia. At vero maior ratio militabat pro feminis, praecauendi: ne harum conditio periculosior esset, quibus tamen opitulari sexus etiam imbecillitas suaderet. Nam viro ad inopiam redacto sectoque eius corpore a creditoribus, vxori miserae, praeter dotem, nihil remanebat ex eius bonis quam cura alendi in posterum familiam; iam maritum liberaute, ab hoc onere, fortuna. Male eo casu iura antiqua vxorum tutelam gesserant, vel quia rariora erant olim exempla huiusmodi, vel faciliora repudia, danda ab hisce viris, qui bellum frugalitati indixerant. Sed quum remedium hoc euangelia reprobarent, matrimonii nexum perpetuum vindicantia, aliud imperatores christiani excogitarunt, quo et vxores in tuto collocarent et aequitati consulerent. Sanxerunt enim Theodosius et Valentinianus, vt ante nuptiarum tempus vxoribus certam bonorum quantitatem assignarent viri, vnde haberent, quo necessitate ita ferente, se, maritum et familiam possent alere, vt hoc §. praeced. exscripta lex 29. diserte exponit. Inde puto manifestum fieri: ante nupt. donationem, vti principio erat nomen, neutiquam hypothecae aut pignoris iura recepisse, constituti a marito vxori, ne haec periclitaretur sua dote. Ratio potius erat eadem, quam supra de dote indicauimus: ne alter coniugum omnia incommoda matrimonii sentiret solus, altero interim sui tantum curae intento; quod tamen ab indole societatis

tatis aequalis alienum, neque ideo locum habere in coniugali potest, quae huiusmodi aequalitatem procul dubio postulat. Patet inde, quare Iustiniano in *l. ult. C. de ant. nupt. donat.* verba exciderint: *quia haec*, quae p. n. donationis titulo constituuntur, *quasi ANTIPHERNA possunt intelligi.* Satis enim notum, apud Graecos dotem audivisse *Φέρην*; unde nostrae donationi, nomen inditum, quod illam *ἀντιΦέρην* vocarent, i. e. contrariam dotem, quia bona, a marito, hoc nomine obligata vxorem securam reddebant, de matrimonii onerum parte, ab illo, ferenda. Pluribus hoc inferius monstrabitur, ubi de variis p. n. donationis effectibus nobis sermo erit.

## §. VIII.

*Quando ista fieri debuerit?*

ANTE NVPTIAS DONATIONEM appellare eam initio placuit, ipso nomine indicante, quo demum tempore oporteret fieri. Moribus enim apud Romanos erat receptum: ne vlla valeret donatio, ab alterutro coniugum facta alteri, constante matrimonio. Comprobatum erat hoc postea S<sup>C</sup>to, quod A. V. C. DCCCCLV. Severo et Antonino Caracalla imperantibus conditum, neque sublatum sequentium seculorum decursu. Legi huic nostrae donationis auctores aliquid derogare nefas esse duxerunt, vtpote haud inuili reipublicae, in tanta Italicarum nationum atque Orientis gentium, quae augustalia tum sceptravehebantur, vel malitia vel leuitate animorum. Sanxerunt itaque, ne haec alio fieret tempore, quam ante nuptias, ne alias huius occasione quaereretur modus eludendi supra memoratas leges. Nomen praeterea inuenerunt iidem Augusti, quod ex asse responderet praesenti negotio, omni via intersepta, qua ad peccandum posset deueniri contra sacra illa instituta maiorum. Cum etiam dotium vel *ditiones* vel *promissiones* nuptiarum olim solemnita praecederent; aequum erat, et huius rei rationem habere statim ab initio: cum a. nupt. donatio instar illarum esset, constituta a marito vxori et ex eodem, quo istae, fundamento orta. (*vid. §. praeced.*) Deinde metuendum erat quoque: ne progressu temporis, amore coniugum tepescente, segnus illam viri face-

rent

rent vel intermitterent plane, cum summa vxorum iniuria. Eius vero vtilitate, magis magisque elucescente, IVSTINVS imperator permotus, statuit paullulum recedendum esse a pristina duritie legum laxioresque terminos indulgendos facere illam volentibus. L. 19. C. de a. n. donat. itaque cuilibet libertatem dedit, huius donationis vel constituendae (\*) vel augendae, licet iam contracto matrimonio; dummodo vltimo casu dos augetur quoque ab vxore vel quouis alio pro illa, ad aequalem vsque cum ista quantitatem.

(\*) Falluntur ergo isti, qui putant: Iustini aevo augmenta tantum donationi nuptiali superaddere licuisse, iam olim ante nuptias constitutae nequaquam vero illam capere potuisse initium matrimonio iam contracto, cuius iuris auctorem Iustinianum nominant. Verum cit. l. 19. vtrumque viris concedit; vt nodum in scirpo procul dubio quaereret, qui hac in re aliquid dubii amplius vellet sibi formare ipsi.

## §. X.

Postea Iustinianus, incertum quo anno (\*), hanc ipsam *Iustiniano* patris sui sanctionem, noua lege, firmavit, quae vltima ordine *eius nomine* est in titulo C. de donat. ant. nupt. missa tunc ad Ioannem, praefectum praet. Illyrici (\*\*). Denuo eandem repetiit *mutat.* *Nouella* XCVII. c. 2. quam anno Christi DXXXIX. Appione (\*\*\*) Cos. promulgauit, vt eo minus adesset aliqua hac in re dubitandi ratio. Cum vero tali modo haud esset iuris dubii amplius: initia capere vel augmenta hanc donationem posse quouis tempore, matrimonii iam contracti plane hic obiectione remota; censuit idem imperator: veteris denominationis mutatione opus esse, ne illa re-tenta, caussa erroris subditis praeberetur, rem ex appellatione iam falso aestimantibus, quum tamen insignis acciderit pristini iuris mutatio. Itaque pro *ante nuptias donatione*, quo olim nomine venerat, *vti* hoc supra indicatum, eam vocauit *donationem propter nuptias* l. cit. vlt. C. b. t. §. 3. *Inst. de donat.* quum vltimum hoc magis conuenire videretur rei mutatae indoli.

(\*) Quamuis cit. legis vlt. subscriptio deficiat, valde tamen probabile: illam annis statim prioribus imperii Iustiniani factam fuisse, quum ad

ad eandem §. 3. *Inst. de donat.* iam prouocetur; quarum publicatio tamen Iustiniano III. Cos. h. e. VII. anno eius imperii facta, uti videre licet et praefatione praemissa huic libro.

- (\*\*) Notum est ex *Zolimi historia lib. II. c. 33.* quod Constantinus M. quatuor constituerit praefectos praetorio, quamuis olim vtplurimum binos tantum imperatores huic admouerint muneris. Distributae inter eos fuerant orbis Romani prouinciae, ita ut *vnus* eorum Orientem tueretur, quo potissimum vocabulo, praeter Thraciam Graeciamque, tractus vltra Hellespontum subnotabant; *alter* Illyricum cum adiacentibus populis; *tertius* Italiam Africa ei adiuncta; *quartus* denique Galliam cum Hispaniis fortiebatur, quibus accedebant praeterea Britannii et Germaniae nationes deuictae. Toram illam τῆς ὀικουμένης diuisionem in quatuor dioeceses, sedes, praefecturas praetorianas, quid ad singulas pertinuerit, quos sub se quilibet praefectus proconsules, praefides, magistratus, officia &c. haberit, quomodo denique et ecclesiae regimen ad hoc exemplum compositum sit, in insignis et reconditae eruditionis libris τῆς Γραμμῆς ostendit Phil. BETERIVS, recufis in *Theaur. Iur. Ciu. Tomo IV. p. 789. seqq.* Iohannem vero sub Iustiniano Illyrico praefuisse I, 9. C. *de advocat. diuers. iudic.* indicat.

- (\*\*\*) In libris ac legum inscriptionibus dubia huius nominis scriptura ARIONEM enim consulem Nouella XCVII. prodit cum aliis pluribus. Contra vero APPIONEM siue APIONEM habent subscriptiones Nouellarum 89. 90. 94. 95. et 96. quibus suffragium fasti consulares ferunt et Chronicon Paschale ad annum secundum Olympiadis CCCCXXIX. siue annum Christi DXXXIX. p. 344. edit. Paris. de anno 1688. Idem chronicon p. 331. ad annum DXXXIX. meminit Apionis patricii; quem cum hoc consule eundem fuisse suspicor. Ceterum hanc vltimam appellationem praefendam priori esse Ill. Dn. PRAESES me monuit, probauitque suam sententiam ex inscriptione veteri, quam Petrus Relandus in *Fast. Cons.* p. 716. ex Montfauconii Palaeograph. Gr. 247. attulit:

ΕΠΙ. ΘΕΟΔΩΡΟΥ. ΤΟΥ. ΑΓΙΩ. ΑΡ.  
 ΧΙΕΠΙΣΚ. ΚΑΠΙΛΙΟΥ. ΤΟΥ. ΠΕΡΙΒΑ.  
 ΑΝΟΥΠΑΤΟΥ. ΕΤΙΤΩΣ. ΑΝΕΝΕΩ.  
 ΘΗ. ΚΟΥ. . . . ΟΤΟΙΧΟΣ Τ. ΦΛ.  
 ΑΠΠΙΑΝΟΣ. ΤΟΥ. ΑΔΜΠΡ. ΙΑΔ. Β.

id est: sub Theodoro sanctissimo archiepiscopo, Capilio, viro spectabilis proconsule feliciter instauratus est murus, post consularum Flauii Apiani, viri clarissimi anno II.

DONATIONEM DE ALIMENTIS SECURA TANTVM. 17

§. XI.

Est igitur propter nuptias donatio, pecunia, quam vir Definitio p. n. vel alter eius nomine, uxori suae constituit; unde, si fuerit opus, donationis. constante matrimonio se, maritum et familiam possit alere.

§. XII.

Quonam modo constituta haec fuerit donatio? quaestio Modus eam constituendi.  
 oritur; ubi nobis saltim videtur idem obtinuisse, quod iura san-  
 xerant circa dotes. Quamuis vero haram constitutionem pluri-  
 bus olim ambagibus obuoluerant veterum legum conditores,  
 partim dictionibus dotium vel promissionibus certas solemnesque  
 formulas praescribendo, tantum non proprias veteri Latio, par-  
 tim etiam auguria captandi necessitate, quibus romana supersti-  
 tio in nullo non negotio alicuius ponderis locum fecerat; vltima  
 tamen mutata sacra pridem in exilium egerant, illas sustulerat  
 recentior iurisprudencia, antiquis hisce cantilenis male propi-  
 tia. Imperatores enim Theodosius et Valentinianus, matrimonio-  
 rum frequentiam oprantes, hanc ex parte putarunt obtineri posse,  
 si dotium faciliorem redderent constitutionem. Sanxerunt itaque  
 qualiacunque pacta, harum causa inita, obligationem inducere, li-  
 cet abfuerit traditio, stipulatio, scriptura &c. \*) Pertinet huc  
 l. 6. C. de dot. promiss. et nuda pollic. quae et ipsa ex hac consti-  
 tutione decerpta est, in qua p. nupt. donationis natales reperiri  
 superius §. VII. asseruimus. Enimuero veritati proxime accedit:  
 paria ab Augustis iura vtrique harum praescripta, ob communem,  
 quem habuerunt, finem factamque in vna lege coniunctionem.  
 Iustiniani aevo nulla dubitandi ratio erat, quin haec donatio ab-  
 solui nudo pacto posset. Cum enim imperator antiquas legis Num nudum  
 CINCIAE argutias, seruandas olim in simplicibus donationum ge- pactum suffe-  
 neribus, plauē sustulerit e medio et donatoris declarationem cerit?  
 quamcunque validam esse iusserit L. 35. §. 5. C. de donat. minime  
 verisimile videtur: duriori istum lege adstrinxisse p. n. donatio-  
 nem reliquis omnibus, quibus respublica tamen minus indigeret,  
 saepe auerfaretur quoque. Itaque adfirmare non dubito: con-  
 uentiones de hac donatione non minus *pactis legitimis de-*  
 buisse

huisse accenseri, quam aliarum simplicium donationum, pristinis moribus, quibus Romani vixerant initio, in usum reuocatis iterum ab imperatore, qua de re ante plures alios conferri meretur Per- Illustr. Dn. Cancellarius noster de LVDEWIG in opusculo, elegantia et industria singulari conscripto, de donatione eiusque barbaro adnexu acceptatione.

(\*) Triplex olim modus obtinuit in constituenda dote; dabatur enim, vel dicebatur aut promittebatur, VLP. VI. §. 1. Ritus, quos proprios quilibet eorum habuit, satis accurate et solide, vti ei mos est, explicuit Ill. Dn. BEINECCIUS in *Antiquit. Roman.* lib. II. tit. VIII. §. 4. sqq. cuius tamen libri, vt et aliorum doctissimi huius viri, encymalten agere iam superfedeo. Referuanda haec talia sunt venientibus seculis, magis remotis ab adulationis specie et inuidia. Ceterum Tribonianus vbique summo studio dotium *distinctionem* in legibus expunxit Codicis; ob aliam nullam causam, quam quia a suo tempore vsus illius recesserat. Factum hoc esse in ipsa cit. 1. 6. praeter Dionys. Gothofredum obseruauit Wissenbachius in *emblem. Triboniani*. Idem accidisse quoque in *l. 1. C. de iure dot.* Cuiacius ad Vlpiani *Tit. VI.* refert; quibus iungi poterit *l. 6. C. de incest. et inutil. nupt.* vbi verba: *aut dicta* compilatorem sustulisse, nullum mihi dubium superest.

## §. XIII.

*A quibus facta fuerit?*

Hanc donationem a maritis debuisse constitui, leges tantum non omnes indicant. Sed in aeterna Romanorum patria potestate oportet haud raro accidisse, vt illi, nuptiarum tempore, parentum adhuc subessent imperio, quorum tunc pars familiae reputabantur, ac vt plurimum desituti propriis facultatibus erant. Quum vero eo casu id, quod nurus attulerat dotis nomine, patri sponsi in lucrum cederet, aequitatis etiam postulabar ratio: vt idem onera sentiret, cui manerent commoda arg. *l. 56. §. 1. ff. de iure dot.* Quare haec dubii iuris est, paterni tunc officii, fuisse hanc ante nuptias donationem facere, neque huic oneri istum se subducere potuisse, si vel maxime dotis acceptationem detrectauerit, dummodo haec a noua vxore rite oblata esset, *Novell. XCII. c. 2. et auth. dos data C. de donat. ant. nupt.* Notanter enim in cit. authentica dicitur: *si pars mulieris dotem*

DONATIONEM DE ALIMENTIS SECVR A TANTVM. 19

dotem soluere sit parata et vt *pari viri* denunciatur; quae verba vix commodiorem interpretationem admittent, quam si accipiantur de vtriusque coniugum parentibus, quorum tunc illi erant in potestate.

§. XIV.

Alia tamen iura manebant illos viros, quos mors vel naturalis vel ciuilis parentum e potestate exemerat, aut emancipatio quoque. Hos enim, dum dotalium lucrorum fructus soli caperent, merito obligatio sequebatur praestandae huius cautionis, quum alioquin iam obstricti essent ad alendum familiam, maritali iure. Hinc l. 19. et 20. C. de donat. ant. nupt. cum aliis pluribus passim maritorum solummodo mentionem faciunt, constituentium vel augmentum hanc donationem.

§. XV.

Verum hi rebus non semper gaudebant tam fortunatis, vt legibus donationem illam iubentibus, potuissent satisfacere e propriis, quas habebant, facultatibus. Et haec licet haud magis accederet ad matrimonii substantiam, quam ipsa dos; tamen cum bene dotatae mulieres saepe recusarent nuptias inire sine hoc, vt vocatur, remedio, vel ob spem lucri forsitan capiendi, sic decollantem, aut etiam propter dubiam noui coniugis frugalitatem: saepe numero opus erat vel propinquorum vel extraneorum auxilio, nuptialis donationis nomine bona sua, pro egeno marito, obligantium eius vxori. Quod eo facilius tunc fieri poterat, quum in illas neque naturale dominium transferretur nec possessio, fructusque nullos inde perciperent, quamdiu ipsi liberisque prospiciebat maritus. Hinc legum formulae: *marito quoque liceat, seu pro marito* CVLIBET ALII, tanto donationem ante nuptias additamento maiorem facere &c. l. 19. C. l. 20. eod. de donat. ante nupt. Nouell. XXII. c. 23. vt diutius huic rei immorari idem esset ac operam ludere solique foenerari lucem.

§. XVI.

Lex Cincia quoque, quae omnium donationum vniuersim iusserat traditionem sub validitatis iactura, si eam a donatoribus

TRADITIO  
num in p.  
nupt. dona-  
tione olim ne-  
cessaria?

neglectam fuisse constaret, initio hic pariter sibi vindicauerat locum (\*) antequam a Iustiniano tolleretur, quod haud obscure prodit *l. ult. C. Tb. de sponsal. et a. nupt. donat.* (\*\*). Verum in nostra donatione eius vtrique minor auctoritas fuerat ac in reliquis, quippe in ea traditionis ritum supplente solemnium actorum insinuatione, a maritis facta; qua tamen ne indigebant quidem istae donationes ducentis aureis (\*\*\*) haud maiores. Verba igitur huius Plebisciti illis tantum liberalitatibus metuenda erant, quae destituerentur publico actorum testimonio, maritis siue iuris ignorantia lapsis, siue animo suo obsequentibus, fraudis conscio. Nullum tunc aliud in iure remedium supererat, quo subueniri miseris potuisset vxoribus, praeter restitutionis beneficium ob minorem aetatem ac auxilii patris defectum *l. 17. C. de donat. an. nupt.* Sed quid de maioribus natu feminis, quarum nuptialis donatio neque insinuata erat, neque a viris tradita? ea non magis tunc debebatur, quam simplex donatio nudo pacto promissa; *argument. cit. leg. 17.* donec tandem Iustinianus, qui satis, vt opinor, debebatur iurisprudenciae aequioris, relegato partim veteri traditionis schemate, partim vero excogitatis nouis, mulierum gratia, auxiliis, virorum fraudulentam versuriam et compesceret et eluderet *Novel. CXXXVII. t. 2.* qua de re inferius.

(\*) Egregie haec, quae diximus, docet et probat locus apud MARCIANVM CAPELLAM in fine libri II. de nuptiis philologiae et Mercurii: *Tunc exsurgens virginis mater postulat de Ioue superisque cunctis: vti sub conspectu omnium, quicquid SPONSALIVM NOMINE praeparauerat Maingena, TRADERETVR ac demum dos a virgine non deesset. Tuncque tabulas ac Papiam Pompeiamque (rectius forsitan: Poppaeam) legem senerent recitari. Cuius petitioni iustissimae deorum senatus attribuit: vt in consessu coelitum offerenda probarentur. Hinc Phoebus exsurgit, fratris officium non detrectans, ac singulas ex semulicuo delectaque Cyllenio incipit adnouere, quae tam pulchrae cunctis, quam ornatisissimae resulsere.* Plura de hoc loco dicam infra §. XXI. not. \*

(\*\*) Expedit totam legem hic exscribere, haud parum profuturam illis intelligendis, quae hoc spbo differuimus; idque eo magis quum et ipsa sit laetitia non contemnenda illius Theodosianae constitutionis, in qua primum actum fuerit de propt. nupt. donatione vid supra §. VII. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS AA. Hierio PE. P. *Si donatio- nis*



nis instrumentum a nupt. actuum solemnitate firmatum sit, detraditione, utrum nuptias antecesserit, an secuta sit, vel penitus praetermissa, minime perquiratur: in illa donatione, quae in omnibus intra ducentorum solidorum est quantitatem, nec actuum confessione quaerenda. Haec enim commoda, nec mariti fraude, nec successorum eius improbitate, nec scrupulositate iuris, nec si et imperite vel callide rerum offerendarum in dotem habeat donatio mentionem, denegari uxoribus deceptis non patimur, vel hiis qui in earum iura succedunt, sed a marito vel ab heredibus eius exacta restitui. Illa manente lege, quae minoribus aetate foeminis, etiam actuum testificatione omissa, si patris auxilio destitutae sint, iuste consuluit. Dat. X. kalend. Mart. Constantinopoli, TAVRO ET FELICE Coss. Vltima huius legis pars occurrit in Codice Iustiniano, ubi est *l. cit. 17. de donat. ant. nupt.* ad quam tamen iam obseruauit Iac. Gothofredus, verba: *in ante nuptias donatione ad eas facta*, Triboniano deberi, in *Comment. in Cod. Tb. ad b. l.*

(\*\*) *Solidi et aurei* vocabulorum apud veteres, semper vsus promiscuus fuerat, quamuis prioris paullo frequentior mentio occurrat Constantiano aeuo. Falluntur vero, qui, auctoritati Iosephi Scaligeri confisi, putant: verbi *solidi* aetatem vix quartum superare seculum ac vetustioribus inauditum profus fuisse. Ipse enim eorum hyperaspites refragatur illis, dum in libello *de re nummaria*, qui exstat in *Tom. IX. Thesauri antiq. Graec. GRONOVII* p. 1524. hac de re ita dixerit: *Sed solidi appellatio propria est nummi aurei Constantinopolitani, quae nupera ac nouitia et vix tandem post tempora Diocletiani mihi videretur, nisi eius mentio extaret in Epigrammatis urbis: ET. ON. DEDIC. EIVSDEM. STATVAE. PATRONIS. ET. Q. Q. P. SOLID. DIVISIT.* Neque immerito videtur dubitasse vir doctus, in designanda vocis huius aetate; cum eadem non tertii tantum seculi ICI, verum etiam ex altero quidam fuerint vsi. Vlpianus in *l. 42. ff. de aed. lit. edict.* quae desumpta est ex eius commentario ad edictum aedilium curulium, fragmentum nobis seruauit huius celeberrimae olim legis, quod iam ideo plurimi facimus, quia in eo *ducentorum solidorum* poena isti dicitur, qui animal noxium in loco, qua vulgo iter fit, ita habuit; vt ex ea re homo liber perierit. Quamuis vero non dubitem, quin ducenti solidi substituti hic ab Vlpiano fuerint, quum in edicto nondum mutationem passo procul dubio *vicena sestertia* legerint veteris aeui homines, tamen non potui hic in castra V. Cl. Euerhardi Ottonis secedere, qui; licet interpolatum esse locum haud diffiteatur, eius tamen criminis reum Tribonianum postulare potius, quam Vlpianum maluerit in libro *de tutela viar.* Part. III. c. 1. pag. 423. Verum vltimus pari licentia vsus est in *l. 1. §. 12. ff. de extraordin. cognit.* Tacitus enim *lib. XI. annal. c. 6.* refert: *Ti. Claudium*

22 VXOR ROMANA PER PROPTER NVPTIAS

capiendis pecuniis, ab aduocatis caussas orantibus, modum posuisse vsque ad *dena fessertia*, quae egressi, repetundarum tenerentur. Ita nimirum primum L. Cinciae caput, quae simpliciter patronis interdixerat, a clientibus aliquid capere, temperauit. Seuerus et Antoninus imp. in cit. lege hanc summam confirmasse videntur, quam tamen Ictus in *centum aureos*, qui tot sesteritiis aequipollent, conuertit; quippe sui temporis moribus loquendi inferuiens, quo nimirum iam vetus computandi ratio per aereos nummos obsoleuerat *ferre*, vid. *Frid. Brummeri Comment. ad L. Cinc. pag. 75. ed. Paris.* Edicti perpetui laciniam quandam in l. 5. §. 6. ff. *de his, qui effuder, vel deiec.* idem nobis Vlpianus exhibet; num vero, *decem solidorum* verba, quae leguntur ibi, Iuliano accepta referre debeamus, an nostro potius, huius edicti interpreti dubito. Certe non multo tempore post Iulianum, Ceruidius Scaeuola verbo *solidi* vltus est, vti videre licet in l. 38. §. 6. ff. *de legat. III.* deinde occurrit etiam in rescripto Seueri et Antonini augg. quod conseruauit nobis e Maeri lib. II. *publicor. lex 34. ff. de iure fisci* antiquioribus autem seculis vocem hanc non audeo obtrudere.

§. XVII.

*In donatione  
requiritur iu-  
dicialis insi-  
nuatio,*

Proscripto itaque traditionis ritu in quibuscunque donatio-  
num generibus vniuersim per L. 35. §. 5. *C. de donat. et Nouel.*  
CLXII. c. 1. non ambiguum est, quin Romani iterum hac in re  
vixerint, pristino naturali iure, praeter liberam donatoris pro-  
missionem nihil hic desiderantes amplius, Germanorum aliarum-  
que circumquaque gentium exemplo. Quominus tamen, in iu-  
diciis, omnes eorundem pollicitationes, factae alteri, haberentur  
ratae, nimia populi leuitas intercessit, sua vel imprudenter  
iactantis, vel male verborum suorum memoris, quae seruare,  
sine insigni patrimonii detrimento, non semper valebant. Ne  
itaque donatores vel temerarie promittendo adirent familiaris  
rei periculum, vel donatarii spe sua, ab illis facta sibi, imme-  
riti frustrarentur, Iustinianus, post varias animi fluctuationes,  
in L. 36. §. 3. *C. de donat. et §. 2. Inst. h. t.* tandem edixit: *ut omnes  
omnis generis donationes ad acta ININVARENTVR, quarum summa  
quingentos (\*) superaret solidos;* hunc vero primum fuisse con-  
stat, qui definiuit hanc ita quantitatem. Olim enim in donatione,  
cuius summa ducentos tantummodo solidos excefferat opus publi-  
cis

cis erat monumentis ex Theodosiana lege (\*\*\*) vel rectius, iure consuetudinario, qua de re in nota subiecta dicam; sed ne nimis angustis limitibus coarctata publica videretur fides, utque donatores ac magistratus, apud quos insinuationes oportuit fieri, leuarentur incommodis, quibus superfedere alias non poterant, amplificanda erat summa, quam etiam re ipsa Caesar vsque ad quantitatem semistertiam auxit. Quam autem olim desiderauerant pariter leges in donationibus, *priuatam scripturam* (\*\*\*) donatorum, ea tunc non magis videbatur ex vsu esse ac ipsa quidem traditio; imo imperator illam, ut iam obsoleti iuris fragmentum nec amplius cogniti valde, praeterire silentio voluit in cit. LL. quam sacris edictis aggredi, quum fatis iam per se ipsam concidisset.

(\*) Nostro aevo haec summa respondet sex et sexaginta supra sexcentos aureis, quibus adhuc oportet addere duas tertias nostri ducati, uti vulgus monetas aureas vocare consuevit. Cum enim Iustiniani temporibus et etiam retro ad Constantinum M. vsque, aurei pondus IV. *scrupulorum* fuerit, L. i. C. Th. *de ponder. et auri illat.* quod hodie nos aureos vincit quarta parte; inde facile constat CLXVII. prope modum nostrae monetae amplius requiri quam olim, si alias iuste proportio debeat adesse Iustinianae quantitalis respectu, quum qui nostro seculo cuduntur ducati, vetus drachmale pondus h. e. *tres tantum scrupulos* excedant minime. Equidem doctores communiter exigunt tantum D. Vngaricos aureos; quos quamuis probe nouerim et pondere et bonitate metalli aliis aliarum gentium anteferri, vereor tamen omnino, ne nimium relinquunt pretio Iustinianis totidem; quod facile cuiquam constare potest, cui liberit, libellae ope, vtriusque monetae ad inuicem pondus exquirere.

(\*\*) Constantius Chlorus olim omnes vniuersim donationes actis iusserat insinuare apud magistratus, quam patris sanctionem firmauit postea Constantinus L. i. C. Th. *de donat.* Sed Theodosius *inn.* et Valentinianus III. a n. donationibus, PRIVILEGIUM instar, ut opinor, dederunt; ne insinuatione indigerent, si eorum quantitas haud maior esset CC. solidis, L. ult. C. Th. *de sponsal. &c.* quia enim nulla communium ibi donationum fit mentio, vix verisimile est: hanc illis legem tunc pariter dictam; quamuis haud multo post, quibus auctoribus incertum est, neque de tempore fatis constat, omnium donationum conditio in eo exaequata fuit. Firmant hanc coniecturam egregie ea quae PAPIANVS prodidit in *lib. responsor.* Tit. XXIII. *de donationibus*

nibus, cuius ipsa hic verba dare expedit: *sciendum tamen donationes, tam auiaticas, quam nuptiales, gestorum solenni facta allegatione firmandas, PRAETER illas NVPTIALES DONATIONES, quae intra CC. solidorum sunt taxatae conlationem.* vid. V. Cl. Antonii Schultingii *IPrudent. ante Iustin. p. 84r.* Videtur et Iustinianus hanc a Theodosio factam differentiam inter donationes in animo voluisse, quum initio sui imperii in omnibus uniuersim insinuationem remitteret, si quantitas intra trecentos substitisset aureos; ita enim isse in L. 34. pr. C. de donat. Sancimus, omnem donationem, siue COMMVNEM, siue ANTE NVPTIAS factam, usque ad trecentos solidos cumulatam, non indigere monumentis, sed communem formam habere: ut non usque ad ducentorum solidorum summam teneat: sed in huiusmodi obseruatione similes sint tam communes, quam ANTE NVPTIAS DONATIONES &c. vltima verba abundarent, nisi inter vtrumque genus olim adfuisset diuersitas quaedam, iam monstrata a nobis, quam tamen explodendam esse nostro legislatori aequius visum. Verum iam Zenonis imperatoris aeuo quasdam donationes communes tantum insinuari debuisset, neutiquam vero omnes indicat L. 31. C. de donat. vbi distinguitur ab Augusto, inter donationes quae actis insinuantur et quas gestis non est necessarium alligari. Iustinianus praeterea in L. 25. C. de donat. inter vir. et vxor. primo statim anno imperii lata, ad summam hanc prouocat, quae ipsi legitima audit, assertionem addita; quod vitra eam minime donatio valeat, nisi ei accesserit insinuatio. Vnde suspicari licet, haud diu post Theodosianum imperium haec iura, quae initio propria fuerant nuptiali tantummodo donationi, facta fuisse communia omnibus reliquis, sequentibus imperatoribus vel ita statutibus vel certe non repugnantibus desiderio subditorum, sua colla veteri insinuationis iugo subducentium.

(\*) Iisdem Constantii et Constantini legibus, quarum in nota praeced. a nobis mentio facta, donatoribus fuerat praeceptum, ut liberalitates suas in scripturam redigerent vid. l. 25. C. de donat. quae, magistratibus oblata, insinuaretur actis. Quum vero hoc sine magna donatorum molestia haud facile posset expediri, inprimis quia hoc ius tangebatur donationes, quae minimo etiam constabant pretio, paulatim post auctorum suorum tempora in defuetudinem iterum videtur abiisse. Colligo id ex L. 29. C. de donat. quae Theodosii iniunctoris est; en eius verba: *In extraneos et saepe ignotos, donationem collatam valere RECEPTVM EST: et, si sine scripto donatum quid fuerit, adhibitis aliis idoneis documentis, hoc quod geritur, COMPROBATVR.* Recenset nempe imperator ius suo regimine iam antiquius, quod, ut conuellat, tantum abest, ut allegando probasse potius videatur. Lex ergo Constantiniana iam tum facta erat precaria, cui impune non parebatur, si donatoribus aliud libuisset, dummodo haud

haud deficeret alia rei gestae probatio. Quare rationi minime est consentaneum, in stabilienda a. nupt. donatione imperatores flagitasse scripturam, vt ea vterentur contrahentes, quum ne in communibus tunc quidem requisita fuerit amplius. Sed regeris, quod tamen iidem Augusti in L. 22. C. de nupt. in qua de dote et a. nupt. donatione agitur, faciant *instrumenti* mentionem, quod vocabulum scripturae esse synonymum ne tirones ignorant quidem? verum cit. loco hoc illi non exigunt, quamuis aliunde constet: etiam in constitutione dotium frequenter interuenisse scripturam, quia desumitur facilius inde probatio; tamen alias nihilominus valuerunt istae, etiam absque verborum solennitate promissae, nec litterarum antiquis roboratae naeniis, L. 6. C. de dot. promiss. qua in re vero minime diuersa fuisse nostra ab illis donatio videtur, quum neque in fine distaret a dotibus, de quo actum superius est, neque multum eis relinqueret in aliis priuilegiis, quibus exornatam esse vtramque constat in nostro iure. Igitur ante Iustinianum seculum, in vtroque genere donationum, siue vocarentur *communes*, siue *ante nuptias* venirent nomine, cuiusque libertati vsus scripturae relictus erat, neque perdebatur aliquid eius neglectu. Tamen et postea fuisse, qui in donando, hunc modum adhiberent, varia produnt monumenta; sub Leone imp. eius adhuc vsus viguisse patet ex l. 30. C. h. t. Zenonis Maurici tempore idem euincit l. 31. ibid. Quid? quod Iustino sen. imperante nondum priuatae scripturae vsus intercidisse penitus egregie docet vetus huiusmodi donationis fragmentum, Maximo consule, factae apud Barnab. BRISSONIVM de Form. VI. p. 558. et Illustr. Dn. PRAESIDEM *Antiq. Rom. II. Tit. VII. §. 17.* PAPIANVS praeterea Tit. I. *libri Responsorum*, donationis meminit, quam pater de rebus propriis in filium filiamque *conscripterit*; quod pariter cum iam citatis testimoniis probat: post Theodosium *iuuiorem* in donationibus, frequentatam fuisse priuatam scripturam, cum isti imperatori ICTus laudatus vtique fuerit iunior. Et quamuis eum fuisse barbarum constet, si Iacobo Gothofredo credendum, vid. eius Manuale iuris in biblioth. Iur. Ciuil. Rom. cap. II. §. 11. Germani tamen, occupatis Romanorum prouinciis ac subactis veteribus incolis, nemini non concesserunt, vt pristino et iam adfueti iure viueret; quod idem, pluribus allegatis Germanorum LL. c. l. docuit. Corruit ergo suspicio, quae subire forsan alicuius posset animum: ac si a Papiano relata, Francorum potius vel Burgundionum redolerent instituta, tunc aliena a iure, quod in reliquiis obtinuit Romani imperii; quocum tamen, iuxta ea, quae paullo ante produximus, testimonia conspirant omnino; Romanis quippe Galliae incolis, etiam quum in exterorum cefferint ditionem, patrios mores seruantibus, vt inter nos hodie Iudaei, qui idem faciunt legum forensium Mosaycarum respectu, in quantum istos principes

nostri suo relinquunt genio. Verum post Iustini imperium aliquem usum fuisse huius priuatae scripturae in simplici donatione, difficultius est, quam ut monstrari possit. Vnde existimo, circa primordia Iustiniani regiminis, quum iam remissa traditionis solemnitate, ad pristinam simplicitatem donationes essent reductae, illam ita adspersatos esse homines, ut potius negligere plane voluerint, quam vano vsu longius propagare, posteritatis incommodo. Posset vero aliquis p. n. donationem nobis obicere, quam *conscriptam* a viris fuisse *Nouel. LXI. pr.* docet. Sed dubium est, num in *Nouella* cit. sermo de *priuata* scriptura sit, an vero de *publica* ista *iudiciali*. Praeterea iam loquimur de communibus donationibus, in quibus eius post Iustinianum negamus usum, neutriquam in *antenuptiali*, vbi necessitas probationis pene flagitauit scripturam, si nulla facta insinatio fuisset; tamen nulla legis adfuit necessitas, ideoque si alia in promptu fuerit probatio, tuto omitti potuit.

## §. XVIII.

*Insinuatione  
eget quoque  
p. n. donatio.*

Iam non dubium erat, quin a. n. donatio, maior D. aureis, insinuatione indigeret, quippe exaequata in eo communibus per *L. 34. pr. et L. 36. §. 3. C. de donat.* Attamen quum saepius eueniret, ut viri, vxoribus suis, pro vero amore fraudulosum cauponantes, illam intermitterent, quo oportunior istas circumueniendi occasio suppeteret; imperator tam deceptorum lamentationibus flexus, quam fraudes et auaritiam maritorum detestans, ad noua iura animum coepit conuertere. Itaque *Nouell. CXXXVII. c. 2.* priores, quas tulerat, leges in tantum mutauit: ut insinuationem denuo requireret in donatione nuptiali, viris autem minaretur dotalium lucrorum iacturam, quae ipsis, pactis interuenientibus, aliquando obuentura ex dote essent, si actis inferi publicis suam detrectassent donationem. Hanc vero edixit nihilominus valituram, quamuis insinuata fuerit minime, si aliquando quaestio foret de vxorum stipulatis ex illa commodis; *quum videatur ineptum esse, pro non insinuatis periculum mulieribus imminere*, quarum tamen hic nulla culpa adfuerit. Facile ex hisce intelligitur, *L. 17. C. de a. n. donation.* quae minoribus aetate feminis, dolo maritorum circumuentis, tantum consuluit, iam amplius in foro nullum habuisse usum; hic enim omnium ratio habebatur, nullo aetatis attento discrimine, quamuis, ut diximus, hoc vltimum olim factum fuerat.

## §. XIX.

## §. XIX.

Quantum quisque vxori constituere vellet a. n. donatio-  
nis nomine, initio cuiusque arbitrio erat permiffum; parum enim  
referre videbatur augustissimis eius auctoribus horumue, in im-  
perio, per aliquod tempus fuccefforibus, an dotem excederet  
quantitate, num vero minori hac constaret interdum summa,  
*l. 9. pr. C. de pact. conuent.* Imo id plane eorum iudicio relictum  
erat, quos ceperat cogitatio de ineundo secum inuicem matri-  
monio: num valde necessaria haec illis esse videretur donatio?  
vt vel tuto omitti penitus queat, vel saltem exigi minore quan-  
titate, qualis etiam circa dotes libertas coniugibus pridem indul-  
ta fuerat. (\*) Quid enim cautione erat opus de praestandis vxori  
ac familiae alimentis, si iam satis constabat de frugalitate sponsi  
probitateue? vnde spes quoque in posterum poterat haberi, ta-  
lem futurum maritum, qualem cognitum; quae fiducia sponsae  
vel eius cognatorum viros interdum pluribus explicare incon-  
modis poterat magnoque onere eorum leuare humeros, quod  
subeundum fuisset ab ipsis, inuitis etiam, si aequa rependere de-  
buisent pecuniosae nuptiae, quum tamen in proprio eorum pa-  
trimonio pauca numerarent iugera, quorum arationi vel duo bo-  
ues sufficere poterant, *conf. l. 22. C. de nupt. quae est vlt. C. Th.*  
*h. t. Nouel. XXII. c. 18. Nouel. CXVII. c. 3. 4. 5.* Lex vnica  
itaque dicta olim erat his donationibus: nuptias praecederent,  
sequerentur vero nunquam. Sed Iustino imperatori visum  
est, laxare in eo paullo terminum, pristina iurium seueritate re-  
licta. Indulgentem viris, vt vel *constituere* hanc possent donatio-  
nem etiam constante matrimonio, vel *augere*, dummodo eo casu  
doti quoque aliquod augmentum accederet, quod illi viri par  
esset quantitate (\*\*\*) *l. 19. C. de donat. ant. nupt.* Tangebatur qui-  
dem haec, de paritate vtriusque, sanctio neutiquam tunc illas  
donationes, quas viri fecerant tempore ordinario et consueto  
olim, ante nuptiarum scilicet diem, verum istis tantum dabatur  
lex, quae postea vel factae fuerant matrimonii tempore, vel  
auctae minimum (\*\*\*) Iustinianus tamen, tam reipublicae quam

*Quae ita ob-  
tinuerint cir-  
ca quantita-  
tem eius?*

cunctis sigillatim id profuturum ratus, edixit: ne dos vel p. n. donatio in posterum differrent quantitate, quocumque etiam tempore illas contingeret fieri; licet de vtriusque imparitate nulla haecenus fuerit dubitatio, quin adesse possit, si nuptiarum solemnibus pacta dotalia fuissent antiquiora. *Novel. XC VII. c. 1. et 2. (\*\*\*\*).*

(\*) Neminem inter eruditos fugit facile, quanti olim, in matrimoniis Romanorum fuerit momenti: mulierem dote instructam esse; non ut eo meliore tantum conditione nubere posset, verum ne, si vel maxime inueniret virum dotis minime cupidum paratamque illam vel sine ea ducendi, concubinae magis speciem, quam iustae uxoris indueret. Quo collineat iste iam a pluribus laudator PLAVTI locus in *Trinum. Act. III. Sc. 2. v. 55. vbi Lesbonicus:*

*Meam vis sororem tibi dem: suades sine dote: hoc non conuenit.*  
Et paulo post v. 63 *seqq. idem:*

*Sed ut inops infamis ne sim: ne mihi hanc famam differant*  
*Me germanam meam sororem in CONCUBINATVM tibi*  
*Sic sine dote dedisse magis, quam in MATRIMONIUM.*

Verum subsequenti tempore obtinuit regula: consensum facere nuptias L. 30. ff. de reg. iur. quae cum semel inuoluit, videtur interitum praeparasse veteris aevi solemnitatibus. Valde itaque est probabile, illam pariter dedisse originem istis matrimoniis, quae ex affectu vocare consuetudo erat, h. e. quae solo conciliarentur amore, absque instrumentorum dotalium confectione siue, quod idem valet, sine constitutione dotis et donationis nuptialis. Quamvis vero id olim haud obuium fuerat, etiam inter tenuissimae fortunae homines, tamen tantum abest ut reprobauerint principes iuniores, ut potius iustitiam talis coniugii publicis defenderint edictis, uti videre hoc licet ex *Novell. LXXIV. c. 4.* Sed quia apud maiores instrumenta dotalia inseruierant probationi iustarum nuptiarum, haec, illis neglectis, magnis saepe exposita difficultatibus erat, ac frequenter eorum subiacebat arbitrio, qui vel assertum aliquid vel negatum volebant, testes in utramque partem pro ipsorum libidine efformantes. Iustinianus igitur, ut tolleret tales veritatis abusus, c. 1. praecipit: ne inter *magnificentissimos* ac personas *illustres* illa instrumenta unquam intermitterentur, homines autem inferioris conditionis talia licite adhiberent tantum; Quos tamen, si forsan crederent, e re sua fore eis neglectis, in matrimonium coire, ablegauit ad quandam ecclesiae defensorem, a quo, facta matrimonii professione, scriptum super ea re documentum peterent, subscriptione trium vel quatuor testium ecclesiastici ordinis roboratum, quo postea vterentur.



atur ad rei gestae probationem. Interim tamen, quod obiter moneo, si quis ex hoc cit. Nouellae capite sacerdotalem, vti aiunt, copulam, elicere veller, nae grauiter errat; quippe in eo nihil aliud reperitur institutum a Iustiniano, quam actus tantummodo probationis causa suscipiendus de inito legitime matrimonio, in dotis ac donationis p. nupt. defectu, quod ipse Hochmannus fatetur in tract. de *benedict. nupt. c. 2. §. 18.* et pluribus docuit in *Iur. Eccles. Protes. tom. III. lib. IV. tit. 3. §. 23.* et *seqq.* ILL. DN. BOEHMERVS, vir, ob insignem, qua pollet eruditionem, non magis quam pietatem varendus; cuius indefessa diligentia iam nobis nouam editionem corporis Iuris Canonici adornat; opus, vt speramus, haud ingratum illis, qui veritatem pati possunt, nec eam solummodo populi Romani aestimant suffragiis. Mirandum vero est, hoc ecclesiasticum testimonium sustulisse iterum Iustinianum *Nouell. CXVII. c. 4.* nisi quis malit dicere: omnia in aliqua lege, non statim pro abolitis habenda.

(\*\*) Factum hoc est ab imperatore ob leges antiquas, inimicas coniugum donationibus. Nam ignoratur a nemine, qui tantum sacra iuris nostri a primo salutauit limine, Romanos illis adeo aduersatos fuisse, vt diu *moribus* obtinuerit tantum, ne fierent *L. 1. ff. de donat. int. vir. et vx.* Sed Fuluius Aemilianus et Nummius Albino Coss. SCtum factum, auctore Antonino Caracalla aug. quo consuetudinario haec iuri publica legis auctoritas est addita *L. 32. ff. b. t.* Actum vero fuisset de omnibus hisce, si *an. nupt. donationem* augere maritis licuisset in infinitum, nuptiis iam celebratis. Quia enim permissum olim fuerat ex Leoniana lege, quae est *g. C. de pact. conu.* ex dote et a. n. donatione lucra pacisci inaequalia in quantitate, de quo paulo inferius agendi locus erit; nunquam coniugibus potuisset occasio deesse, donandi sibi inuicem et dona extorquendi inuitis quoque, tegumento tantum obducto nuptialium donationum pactorumque dotalium. Sic e. c. vir *centum* dare volens coniugi, eius blanditiis persuasus vel minis interdum, Socraticas pluuias demissurae alias in caput miseri, nequibat donare quidem, attamen si pacta dotalia coniugi, aliquando superstiti, *dimidiam* addicerent donationis nuptialis, istam augere tantummodo debuit *ducentis* et auerruncare ita imminuentem tempestatem. Licet enim talium pactorum initium vt plurimum ante nuptiarum quaerendum esset solemniter, tamen valebant quoque in augmentis eiusmodi pactuorum posterius fuerat tempus *l. 19. C. de a. n. donat.* Sed regebat quis: simplices tamen coniugum donationes valuisse, si firmatae morte fuissent donatoris, neque id heredibus datum, vt illas impetrare potuissent *L. 32. §. 2. ff. de donat. int. vir. et vxor.* Numquam autem in a. n. donatione expectari fata aequae debuerint, antequam fas esset lucra pactorum dotalium capiendi; parum referre potuisset: an simplex donatio sub huiusmodi augmento a. n. donationis

latuerit, num vero bona fide perfectum negotium fuerit. Enimvero plurimum omnino intererat, quo quisque coniugum modo donasset alteri: vltimus quippe aptissimum erat medium damna reipublicae inferendi, quam ne simplices quidem donationes fuerant. In his enim facultas poenitendi haud erat donatoribus adempta, quae tamen maritis negabatur in pactis dotalibus, semel rite contractis; et quamvis vltimum hoc negatione alterius, dubium redderetur, facile tamen hic poterat in probatione sui iuris deficere, quum potius LL. partes hic mulierum tuerentur, pro iustitia pugnantium donationis nuptialis, factae sibi a maritis, datoque eis praesumptionum adiutorio, *vid. l. vlt. C. Th. de spons. et a. n. donat.*

(\*\*\*) Ergo si vir decem millium *a. n.* donationem fecerat legitimo tempore et consueto (i. e. ante matrimonium), mulier vero ei dederat dimidiam tantum summam, *dotis* nomine; legis hic cessauit potestas. Finge autem, virum duorum millium augmentum facere voluisse tempore matrimonii, dos quoque augenda erat *necessario*, non ad duodecim quidem, sed duobus tantum millibus similiter, ita vt tota VII. expleret millia et satis fuerat legi factum. Sin vero donatio nuptialis caperet initium suum post nuptias demum, tunc istam dotis quantitati exaequare quidem *licuit*, maiorem autem facere minime. Sed omnes has subtilitates Iustinianus, haud ita multo post sustulit ac euertit, indistincte aequalitate introducta inter *p. n.* donationem ac dotem, neque id virorum reliquit arbitrari; an priorum facere vel augere vellent, data vel aucta dote; sed vt hoc fieret ab ipsis, iussit quoque; quod tamen pater eius olim *licitum* esse edixerat tantum, non vero aliqua exegerat lege.

(\*\*\*\*) Primo Iustinianus *L. vlt. C. de donat. ant. nupt.* hanc patris sui sanctionem firmavit; verum annis interiectis aliquot idem putauit; cuius aequius fore, si inter *a. n.* donationem ac dotem exacta posceretur aequalitas *vnuerfim*, h. e. nulla habita ratione temporis, quo istas constituerent coniuges, siue matrimonium praecesserit, siue incidere in illud; quam differentiam tamen, iuxta ea quae in §pho diximus, Iustinus habuisse videtur. Credidit enim noster imperator satis fore, si tantam onerum matrimonialium partem recepisset vir, quantam ipsa subiisset vxor dotis illatione. Praeterea minime videbatur id reipublicae conducere, si infinitae quantitates donationes *a. n.* exigere liceret mulieribus, haud sine magno sponzorum dispendio: quorum tunc fides in negotiando et commercii minuebatur cum patrimonio simul, obnoxio facto foemineo nexui obque id inaccessu creditoribus. Hanc etiam aequalitatem seruare ac inueni iussit, si *de lucris nuptialibus* pacta mutua inirent coniuges; quae quidem vltimum fiebant sponsaliorum statim tempore, quo illis integrum adhuc erat et sibi inuicem donare simpliciter, libere tamen

DONATIONEM, DE ALIMENTIS SECVRA TANTVM. 31

et semper ea poterant et olim immutari, haud obstante matrimonii vinculo; quare haud inanis fuerat metus, ne, tali laxamento vtriusque generis dotibus indulto, vt scil. quocunque tempore et incipere et augeri possent, nec tamen subessent aequalitatis legi, matrimonii quam maxime noceretur, et amor coniugum iterum rediret ad hastam veluti publicam. Cui tamen malo obuiam itum in cit. *Novell. XCVII.* inter vtramque dotem introducta, quam exposuimus hactenus, paritate.

§. XX.

Hac ita facta donatione, res vxori eo oblatae titulo, a marito neque alienari poterant, nec pignori dari alicui, metu periculi quo cum muliebria coniungi commoda videbantur, si haec viris data fuisset licentia. Nam nuptialis donatio non tantum quod iam explicatum est, matrimonii tempore utilis esse poterat mulieri, verum et sortem illius augere eo, morte viri, soluto, insuper redundante frequenter fructu in liberos, quos illi communes procreauerant. Iustinianus quidem praetulerat istam creditoribus cunctis, qui originem iurium suorum ea nouiorem habuerant; *l. 29. C. de iur. dot. l. 12. §. 2. C. qui pot. in pignor.* verum quum nec ita videretur satis vxoribus cautum esse *Novell. LXI.* idem imperator actibus nullitatem induxit prorsus, quibus constaret: maritos ad eius oppignorationem vel alienationem venisse. Neque hanc nullitatem tollere potuit vel ipse mulierum consensus, in gestum negotium forsitan elicitus; potuit tamen in eo creditori prodesse vel nouo possessori, vt actui, qui per se nullus fuerat, validitatem adderet, si eius fecisset, vxor repetitionem effluxo biennio, viro praeterea alia possidente bona, vnde ei existeret condicione consuli posset satisque fieri. Sin vero illos deficeret facultatum copia, iuraque mulierum adduci viderentur in amissionis periculum, nequiquam consensus earum, datus olim in alienationem, illas impedire potuit, quominus quod sibi fraudi fuisset, reuocarent; quum nequaquam crederentur damno suo voluisse consentire, licet datum consensum vice centesima reiterauerint quocunque tempore.

*Maritus p. w. donationem neque alienandi gaudeat facultate neque oppignorandi.*

§. XXI.

## §. XXI.

NECESSARIO  
facienda a  
viro.

Quamvis vero nemo cogatur alias, vt sua inuitus iacet, quum liberalitatis indoli nihil refragetur magis, quam si illa reddatur necessaria; longe alia tamen iura dicta sunt p. nup. donationi, quae frustra applicueris reliquis, quae reguntur tantum virtutis legibus. Dote enim ab vxore vel tradita vel rite oblata tantum, licet accepta minime fuisset, vir vel cuius iste in potestate fuerat, denegare nequaquam poterant hanc donationem, neque illam commodis exuere, competentibus forsan ei soluto matrimonio *Nou. XCI. c. 2. et auct. dos data C. de donat. ant. nupt. (\*)* Hoc igitur casu si sponte illam facere cunctaretur maritus, imperator nihilominus edixit, seiura vxori, suo tempore competentia, seruaturum inuitis omnibus maritorum fraudibus, *vid. c. Nou. et Nouel. C. XXVII. c. 2.* Sed quid? si durante adhuc matrimonio creditores viri debitoris bona inuaderent ac, non soluente isto debita, conscinderent tandem? quam tunc forte gaudebant mulieres donationis nuptialis ratione? fateor iura hic dubia videri, num illam respectu temporis matrimonii contracti vel dotis oblatae quibusdam praetulerint creditoribus, an vero ob mariti factum deficiens h. e. ob non datam vxori hypothecam, omnibus illam cedere iusserint ac ita coniecerint in vltimam horum classem? citata enim Nouella emolumenti tantum facit mentionem, cuius soluto demum matrimonio exactio erat licita, quodque aduersus quasque virorum machinationes vxoribus vindicat; at omittit exponere earundem iura, quorum venire vsus, constante etiam poterat matrimonio, moto puta concursu, quamvis hoc forsan paullo rarius acciderit. Meam interim sententiam dissero, inferius dicendam tamen; ne, praecoeupata hac quaestione, ordini tractandae rei vis aliqua inferatur.

(\*) Idem obtinuisse pridem ante Iustinianum colligo ex superius §. 16. dato MARTIANI CAPELLAE loco, cuius priora verba ita se habent: *Tunc exsurgens virginis mater poscit de Ioue superisque cunctis: uti sub conspectu omnium quicquid SPONSALIVM NOMINE praepraeparauerat Matrigena, traderetur, ac demum dos a virgine non deesset*; illa enim nequam petitionem simplicis donationis vel theoriuri continent: quum primam

primam exigere nefas fuisset, quae expectari tantum a sponso debuit, alterius vero postulatio nullum poruerit locum habere, nisi peractis iam nuptiis. Sed quum illius hic doni mentio fiat, quod Mercurius *sponsalium nomine* (ergo ante nuptias) destinauerit Philologiae idque *exactum* fuerit a matre virginis; nulli id rei conuenire puto melius, quam *a. n. donationi*, quae Martiani aeuo et nuptias praecire debuit et, quia *legitima* eius petitio fuerat, postulari potuit. Quae argumenti mei ratio et inde fit evidens, quod huic donationi continuo *dos* fuerit subiuncta; utpote cuius inuitu illa debebatur tantum, ac sine qua eius a viro facta petitio, iniusta fuisset atque inanis.

## §. XXII.

Paucis expendendum nunc erit, quosnam produxerit *Effectus p. n. donationis.* haec donatio effectus? vnde et verus, quem habuit, finis poterit agnosci et quanam inde speranda vxoribus commoda fuerint? eo melius intelligi. Superius §. VII. iam asseruimus et probauimus: maritis incubuisse onus alendi familiam et necessariorum praestationem, quibus indigebant vxores, haecque talia ibi causas constituimus genuinas, quibus debeat antenuptialium donationum origo. Quamuis enim haecenus ICtis placuerit, longe alias indicare; rationes tamen ibi pariter edictae, quibus permoti, hanc secessionem fecerimus, relictis eorum signis, verendis alioquin haud minus nobis ac fama digne quaesita. Hoc innixus fundamentum; haud difficilis explicatio videretur *L. 29. C. de iure dot.* quam cit. §. exscripsimus, partim quod in ea prodatur hic finis, partim etiam quia primarios contineat effectus, quos hoc negotium produxit; quae vtraque frustra forsitan quaesueris alibi in iure nostro. Minime dubitabatur tunc, quin cura domus ac sustentatio familiae pars sit maritorum muneris, quam illis non Romanorum tantum delegauerint mores, sed quae profluxerit ex dictamine sanae rationis, omnium orbis gentium consuetudine roborata. Viri id neutiquam abnuebant; sed quo minus satis huic possent officio facere, eorum obstabat indigentia aliquando, vel ablu-

E

menti-

mentibus bona quibusdam, conuiuibus ac comotationibus continuis, vel amittentibus male propitiae fortunae iniuria. Vtrumque mulieribus luctuosum erat, at prius imminere eo propius, quo magis tunc aperta voluptatibus porta praerberetur; quae orientem non minus eo tempore infestabant, quam urbem ac Italiam. Quamobrem haud adeo mirandum: si fata vtriusque imperii vltima mox aduenerint; breui enim tempore facta sunt praeda hostium suorum, dedignantium iam Romanos rerum dominos, quos si comparare voluisses cum maioribus suis, illos, ex viris transformatos esse in foeminas, credidisses forsitan? Vnde quoque manifesta sit paganorum dementia, adscribentium haec mala christianorum receptis sacris spretoque deorum cultui. Sed haec obiter tantum. Ad illa autem pericula declinanda et vt mulieribus nubendi adderetur fiducia, viri, ex rebus suis vltimum, certam illis designabant quantitatem bonorum, ex cuius istae redditibus caperent *alimenta*, marito praeter spem reliquis exuto facultatibus obue id inhabili porro ad prospiciendum familiae suae et coniugi. Haec oblata vxori bona propter nuptias donationis nomine veniebant, ac leges tribuerunt in eis potiora iura mulieribus, nisi antiquiora forsitan aliquis probare posset creditor, l. 29. cit. *Exceptione* itaque contra quemuis se tutabatur, tempore posteriorem sibi, si horum bonorum teneret iam possessionem; verum si hanc alias praecoccupasset, poterat expelli, *vindicationis* actione, ab vxore mota, licet ista dotem illatam vel res pro ea suppositas iam fuerit consecuta. Idem superius prolatum est in medium, vbi causam prima vice diximus, quare repudiauimus opinionem haecenus communem, qua, hanc donationem fuisse datam in dotium securitatem, adstruitur; genuit eam antiquior cohors iuris interpretum, recentior aetas propagauit ac defendit. Sed finge, rem ita se habuisse, certe tunc vxor vtrumque seruare non potuit in concursu, verum obtento alterutro ab alterius abstinere petitione, restituta enim dote, hypotheca pro ista data talis esse definit: *liberatur enim pignus, siue solutum est debitum, siue eo nomine satisfactum*, l. 6. pr. ff. quib.

Primus effectus.

quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 13. §. 2. de pignor. et hypoth. sed c. l. 29. C. de iure dot. duplex isti vindicatur hypotheca: quarum priorum dotis causa, ab vxore illata ei, dederat maritus; alteram vero idem constituerat ob praestationem donationis nuptialis. Unde haud temere infero, quum rei vtriusque diuersitas ex eis quae dicta sunt, satis elucescat: *hanc dotium securitatem, in p. n. donatione quaesitam haecenus, ipsis Romanis quidem prorsus fuisse incognitam, partum vero spurium esse acui recentioris, cuius falso iactata origo, ab humanioribus ICtis magis neglecta fuit, quam credita.*

## §. XXIII.

Quamuis vero mulieres ad possessionem interdum po- *Alter eius ef-*  
tuerint peruenire donationis nuptialis, tamen cum illa alienan- *fectus.*  
di (\*) haec bona facultatem neququam consecutae sunt, quam-  
diu nulla matrimonii solutio interuenisset, sed tantum fructus po-  
terant inde percipere, infumendos in sustentationem (\*\*\*) sui,  
mariti ac familiae; quippe rei familiaris cura, mutato ordine na-  
turali, iam ad vxorem redierat, quum vir ostendisset, se ei esse  
imparem. Prodent et probant haec quae diximus verba media  
c. l. 29. *Ita tamen, vt eadem mulier nullam habeat licentiam eas*  
*res alienandi viuente marito et matrimonio inter eos constituto: sed*  
*FRUCTIBVS earum ad sustentationem, tam SVI, quam MARITI FILIO-*  
*RVMque si quos habet, abutatur. (\*\*\*)* Fuisset quidem huius do-  
nationis petitio frustranea alias ante solutionem matrimonii et vi-  
ri obitum; imminente vero concursu metuendum erat: ne in ma-  
riti relicta potestate, confunderetur cum reliquis eius bonis di-  
strahereturque simul. Praeterea quanam spes esse poterat vxori in  
frugalitate talis decoctoris, cuius expensis integri patrimonii non  
suffecerant reditus? quare satius fore duxerunt LL. si et dotis et *Tertius effe-*  
donationis nuptialis *administratio*, hoc casu concederetur vxori; *Eus.*  
neque id marito damnosum erat, quippe quem iam alere ista de-  
buerat, pudendum licet. (\*\*\*\*)

(\*) Quantum ad alienationem attinet propter nupt. donationis, illa videtur aequae fuisse difficultatis ac ipsius dotis, quia vel creditorum interesset, ne fieret, vel quoque aliorum qui aliquando sperare successione viri poterant. Spes enim erat prioribus: soluto matrimonio, si non totam, tamen aliquam illius occupandi partem vertendique in solutionem alicuius crediti. Finge enim priorem virum cessisse fati; extinguebatur tunc etiam obligatio, vxorem alendi et liberos, quae represserat hactenus inuasionem creditorum, donationi nuptiali aequae inhiantium ac reliquis viri debitoris bonis. Mulier enim isto casu gaudebat facultate, ea tantum retinendi, quae pacta illi dotalia addicebant, *lucris nuptialis* nomine, reliquam vero partem huius donationis istis tenebatur restituere, quorum iam portiora iura esse noscebantur. Sed quid? si vxor moreretur viro superflite? tunc iste quidem pristina iura recepit in antenuptialibus bonis, quae habuerat in illis antequam constituisset ea, mox tamen suis creditoribus cedenda, quorum hic aeterna erat auctoritas, vti et in aliis bonis, a debitore noue acquisitis forsitan; donec omnium debitorum facta esset solutio. Constat ergo, Romanos plures et idoneas habuisse rationes, quare talem interdixerint alienationem, conf. l. c. 29. C. de iur. dot. in fine.

(\*\*) *Suslentationis* verbum isti *alimentosum* vel *victus* imperator praerulisse videtur ideo, quia vltimorum complexum fati arctis limitibus circumseperant ICti veteres, praeter cibaria, vestitum, habitationem paucaque alia huc nihil referentes l. c. ff. de alim. vel ci. bar. legat. l. 43 et 44. de verb. signif. certe sumptus studiorum inde exemerant; quibus tamen fructus ex p. n. donatione iuste impendi potuisse nulla prohibet ratio, quin credamus, adempta creditoribus impediendi facultate. Quid vero, si omnes expensas, faciendas quotannis in rem familiarem, reditus fuerint egressi, idque probauerint creditores? neque tunc vltimis plus fuisse iuris puto ad deuorandum superflua; quippe LL. tantum vxorum prospexerant commodis, aliorum non aequae, nec illas obstrinxerant ad rationem redditionem vel administrationis gestae vel expensarum, durante coniugio. Sibi ergo retinebant istae fructus abundantes, neque id immerito; vtpote frugalitate sua partos ac parsimonia. Igitur in alio sensu accipi nolumus verbum *alimentosum*, quod in rubrica dissertationis placuit adhiberi, quam in eo, qui iam expositus est, laxiori; in isto autem minime, qui olim habuit locum in testamentorum ac legatorum interpretatione; cuiusmodi orbitas iam non ingredimur.

(\*\*\*) Vltima verba *cir. l. 29.* optime Graecus interpres exprimit, Βορσι-  
Λικῶν lib. XXIX. c. 10, p. 540. Edit. Fabrotti: Δι ΟΥΔΕΝ γὰρ ἔτε-  
ρου



ρον λαμβάνει τὰ πράγματα ἢ γῆνῃ εἰ μὴ μόνον ἵνα καρπῆται καὶ ἀποτρέφῃ ἐαυτήν καὶ τὸν ἀνδρα καὶ τὰς κοινὰς ἀδελφῶν, εἰ ἔχουσιν, παῖδας. Ergo non accepit p. n. donationem ob dotis securitatem, quam hic in censum venisse frustra asseritur, aliam rationem prouidentem Graecol Croj; cui tamen suorum temporum usus fori ignotus esse non potuit.

(\*\*\*) Praeter casum orientis, super bonis viri, concursus, id plane non poterat fieri, vt fructuum ex hac donatione perceptio cum administratione eius simul, ad vxores transfret, antequam fati cessissent mariti, vel dedissent causam diuortio. Multassent enim mulieres illos omnibus commodis illatae ab ipsiis dotis, si eis aequalem pecuniae quantitatem vel bonorum tradere debuissent illiusque cedere fructibus. Quale quid absouum fuisset et Romani iuris prudentiae aduersum omnino. H. DONELLVS quidem id olim credidit *lib. XIV. c. 9. l. vit. C. de donat. ante nupt.* suae opinioni accommodans, quae tamen p. n. donationem in nomine ac substantia tantum non differre a dote ait, quod et verum est; neutiquam vero communes vtrique effectus tribuit. Ideo non immerito iam refutarunt eum, probatione contrarii, HILLIGERVS *ad b. loc.* et B. STRYCKIUS, *in V. s. modern. ff. Tom. III. ad tit. de iure dot. §. 12.*

#### §. XXIV.

Ob haec, quae in prioribus exposui, iam non dubito, *Vxor in p. n. donatione CIVILE HABES DOMINIUM.* quin in hac donatione, vxori civile aliquod dominium possit vindicari; quum nequaquam in eo videatur a dotibus distulisse, vid. DION. GOTHOFR. *ad authent. dos data C. de ant. nupt. donat.* et B. STRYCK in V. M. Tom. III. *ad tit. de iure dot. §. 12.* quarum iure maritis id tribuebatur aequae, pr. *Inst. quib. al. lic. l. 7. §. 3. ff. de iure dot. l. 13. §. 2. ff. de fundo dot. L. 9. C. de rei vind.* Acquirendi modum in traditione olim quaerimus, consueta in hac haud minus, quam in donationibus aliis communibus, quibus eam praescripserat lex Cincia, quamuis illa haud aequae necessaria fuerit in hac nostra donatione, iuxta ea quae §. XVI. supra scripsimus. Sublato autem traditionis ritu veteri, Iustinianus in *Novel. LXI. pr.* eundem effectum dominii transtulisse videtur ad *conscriptas donationes nuptiales*, in quantum *res immobiles* in eis fuerint comprehensae et quarum *vindicationem* concessit vxori, si maritus alienare eas fuisset ausus. Licet enim nulli huius dominii effectus

effectus cernerentur salvo viro ac bonis eius intactis, facile tamen hi apparebant concussa re familiari creditorum impetu ac fractis viribus patrimonii. In hunc enim casum praeparata erat potissimum donatio nuptialis, ne sub vnum fortunae ictum et spes vxoris et liberorum communium, cum illa patris, concideret. Quod enim §. 22. indicauius, *vindicatio* tunc mulieri competebar, aduersus omnem qui eam detinebat ac infirmiori nitebatur iure; quod haud ambiguum indicium est illius, quod asseruimus, dominii vxori competentis; et quamuis in L. 29. C. de iure dot. ista videatur magis hypothecae tribuenda, cuius c. l. expressa fit mentio, quamque persequi rei vindicatione potuisse docet l. 16. §. 3. ff. de pignor. et hypoth. tamen in eo *Nouella* L. XI. cit. clarior est, (\*) vbi idem mulieribus datum nulla facta mentione hypothecarii iuris expresse constituti, quod interdum videtur adfuisse tantum et ideo ad accidentalialia referendum merito. Equidem colligo ex eadem *Nouella*, ante eius publicationem in his iuribus, dandis vxori, haesitasse quosdam iudices; sublato enim in donationibus *traditionis* schemate per L. 35. §. 5. C. de donat. iusta illis dubitandi causa videbatur adesse; num ne amplius mulieres dominium acquirant, acquisitionis modo abrogato per imperatorem? verum hoc Iustinianus denuo voluit per cit. *Nouellam*, si a. n. donatio in certis *immobilibus bonis* constiterit, non si in pecuniae quantitate; quo casu vxores tantum videntur ius personale habuisse, vel post *Nouell.* CIX. *tacitae hypothecae* priuilegium, in maritorum bonis; qua de re infra §. 30. quaedam dicturi sumus.

(\*) Sed videtur cit. *Nouel.* LXI. hanc donationem aestimasse legatorum iure quorum vindicatio, si certa species esset legata, neutiquam erat dubia, vt pote translato dominio in legatarium statim post mortem testatoris per L. 62. ff. de furt. et L. 80. ff. de legat. II. Verum si vel maxime demus, *Nouellam* hanc iura exponere, competentia mulieribus post mortem maritorum demum; deduci tamen haec nunquam poterunt ex vltima voluntate quadam vel codicillis, quarum neque ibi aliqua sit mentio. Pactis enim stabiliiebant hanc inter se successionem coniuges in bonis dotalibus, quae adeo erant firma natura sua, vt mutari nequirent inuito altero; quod tamen aliter se habet in vltimis voluntatibus, saltim iure ciuili, quarum vero classis nullibi leguntur adscripta.

## §. XXV.

Soluta vero matrimonio, morte mariti, donatio p. n. eodem iure ad eius heredes veniebat, vti alias dos *profectitia* (\*) defuncta vxore redire ad patrem istius debuit. Cessante enim coniugio ac eius oneribus, neque illis poterat locus esse amplius, ad sustinendum haec datis olim vnice. Euenit tamen saepius, vt *profectitiam* dotem lucrarentur viri *paetorum* ope, quae et praeuertere nuptias poterant vel subsequi etiam, quum LL. hic iam olim nullam temporis differentiam statuerint, l. 12. ff. de pact. dotal. l. 5. l. 6. C. b. t. l. 4. C. solut. matr. Sc. l. vlt. C. b. t. l. 22. §. 8. ff. b. t. licet talia pacta neuriquam aliquem in iure habuerint effectum, si de vxorum paraphernalibus bonis fuerint inita, vti hoc euidenter L. cit. 5. C. de pact. dotal. docet et ad illam Dion. GOTHOFREDVS. Enimuero notum est, tales conuentiones, de futura successione factas, aduersas fuisse alias iuri ciuili et quasi bonis moribus essent contrariae, ab eo reprobatae; quippe quae materies credebantur aptissima ad sollicitandum malorum animos, qui hereditates habere mallent, quam expectare, scelere interdum in auxilium vocato suae cupidinis, vt, accelerata morte alterius, se quam primum in bonorum, quae sibi pepigerant, possessione viderent, conf. L. vlt. ff. de suis et legit. hered. l. 30. C. de pact. l. 4. C. de inut. stipul. Ea tamen de quibus iam nobis sermo est, olim tolerabantur ex consuetudine inter coniuges tantum, vti hoc patet ex legibus supra allegatis. Amor enim coniugalis haud admisisse videtur, tam dira ac atrocita hic suspicari; licet aliorum pacta successoria metuenda fuerint ob insignem perfidiam Italarum, quibus in eo haud multum relinquebant alii orientis populi. Iam non adeo erit mirandum, idem in ante nupt. donatione concessisse coniugibus imperatores Leonem et Anthemium (\*\*\*) per L. 9. C. de pact. conuent. vtpote quibus, praeter rationem iam in medium allatam, meliorem spem de subditorum innocentia facere poterant, christianae fidei professio, tantum non vbiq; intra fines orbis Romani receptae; licet haec bonitatis praesumptio tanta nondum fuerit, vt ideo indiscriminatim pacta

*Dotem profectitiam saepe lucrabantur viri mediantibus pactis dotalibus.*

*Eadem fiebant quoque de p. n. donatione.*

cta quaenus successoria potuerint tolerari, vti hoc monstrat Iustinianus in *c. l. 30. C. de pact.*

(\*) Distinguebant Romani: vtrum dos a patre vxoris esset profecta, quam *profecticia* vocabant, an vero ab alio data fuisset mulieri? quae *aduentitia* dicebatur. Priori casu patri, matrimonio soluto, actio competebat ad repetendum illam *L. 2. §. 1. L. 3. L. 4. ff. solut. matr. dos &c. L. 6. ff. de iure dot.* quod etiam tunc verum erat, si mulier vel maxime emancipata fuisset a patre, *L. 59. ff. solut. matrim. L. 5. ff. de divort.* neutiquam vero idem ius fratri vxoris erat, licet in ceteris, relictis ab ea, bonis heres esset, *L. vn. C. si aduers. dot.* nisi in hunc casum, patre scilicet mortuo, stipulatio interuenisset redhibendae dotis mortua muliere *L. 5. C. solut. matr. dos &c.* Egregie haec probat locus *VLPIANI Tit. VI. §. 1.* *Mortua, in matrimonio, muliere dos a patre profecta, ad patrem REVERTITVR, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quodsi pater non sit, apud maritum REMANET.* Igitur mortua in coniugio vxore et patre eius praemortuo viri lucrabantur illam, vti et tunc si fuisset *aduentitia*, quod posterius optime declarat *CORNVTVS*, vetus Persei scholasticus: *Dos, inquit, a ciue Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non interuenit, post mortem vxoris ad maritum pertinet. Idem testatur VLPIAN. l. c. §. 5.* *ADVENTITIA autem dos semper penes maritum remanet; praeterquam si is, qui dedit, vt sibi redderetur, stipulatus fuit: quae dos specialiter RECEPTITIA dicitur.* Ceterum tempore nouiori neutra dos aliter videtur in lucrum cessisse viro, quam si idem vxori superstiti a. n. donationem promiserit in pactis dotalibus, quod clare prodit *l. 9. C. de pact. conuent.* in fine.

(\*\*) Sed caue haec ita accipias, ac si pacta ista successoria in donatione nostra non superent horum Augustorum imperium; talia enim iam produunt passim Theodosianae leges, vti *L. vlt. C. Th. de sponsal.* in qua cauetur: ne a. n. donationis commodis spoliari possint vxores vel ab ipso viro, vel eius *heredibus*; quae vltima verba nimis clara sunt quam vt de aliis possint intelligi commodis, praeter ista lucra, quae post mortem virorum mulieres nanciscebantur, interuenientibus dotalibus pactis; quum alius non superesset modus talibus potiundi, si pactitum exceperis, *vid. Illustr. Dn. BOEHMERVS in Iure Prot. Tom. IV. lib. IV. tit. 20. §. 46. n. 3. p. 452.* insigne etiam rei huic testimonium perhibet *Const. XX. LEONIS imp.* en eius verba: *et enim vetustiores leges mox a coniugii coitione aequales esse collationes, tum muliebrem tum virilem et vt altero vita defuncto, quam liberi nulli superessent, NEC PACTVM in quo quippiam de lucro significaretur, subesser, ex aequo ad vtrumque sua REVERTERENTVR, constituerunt.* Si vero de lucro pactum iniurum esset,

tunc ut uterunque vita excessisset, qui superstes esset, receptis rebus suis, insuper quantum pacto comprehensum esset, lucraretur &c. unde haec lucra nuptialia ad ACCIDENTALIA tantum pertinuisse edocemur, quae salua p. n. donationis essentia potuerint abesse. conf. quoque l. 5. C. de secund. nupt. in qua de emolumentis huius nuptialibus pariter actum est. Facit quidem GREGORIUS IX. in cap. ult. X. de donat. int. vir. et uxor. praeter ista pacta, consuetudinis etiam mentionem, qua adiuvante donatio prop. nupt. in mulieris lucrum cedere possit; sed valde metuo, ne pontifex iste longe alia in mente habuerit, vel prisca Romanis penitus incognita, vel alio appellata nomine, ad quae tamen p. n. donationis nomen transtulit, inuito licet iure civili. Haec talia enim facta nouioribus fuisse seculis, inferius dabo monstratum, ex quo imperita doctorum turba, uti coquus Plautinus, diuersa iura commiscuit alienisque illa appellationibus insignire est solita, quod iisdem pene verbis iam monuit Ill. Dn. PRAESES in ff. P. IV. §. 105. tit. de iure dot. Nam minime videtur ad veritatem accedere, dicti papae tempore inter gentes exoticas et barbaras plus superfuisse de hac, Romanis olim propria, donatione, praeter inane nomen, cum verus illius finis pridem, cum Romani in occidente imperii reliquiis, fuerit sepultus migraueritque ex posteritatis memoria; nulla enim huius rei poterat esse utilitas, inter eos populos, qui magis ignorantia voluptatum seruabant temperantiam, quam ne fecerant quidem Romani, tot latis legibus sumptuariis. Neque, ob scelera alterius, dirimendi coniugii apud eos metus erat; quo casu Romae pariter perdebatur donatio nuptialis transferebaturque ad partem innocentem; quae amissionis poena tunc loco capistri erat, ad refrenandam perfidiam hominum animi leuioris de quo *infra* §. XXVIII. Germani enim probabant coniugalem fidem seruando, neque alia ob id dabant vel accipiebant pignora; quae cautela fuerat Romanorum tantum. Interim, ut ad rei primariam partem redeamus, imp. Leo et Anthemius primi videntur fuisse, qui pactis dotalibus quosdam posuerunt limites, quos egredi nefas esset futurum; ne magis in eis contrahentes coeco affectui darent vel auaritiae ac fraudibus, quam rationi et aequitati.

## §. XXVI.

Pacta vero talia nihil aliud fuerunt, quam duorum in idem *Definitio bonorum* placitum consensus declaratus et inuicem acceptatus, qua alter coniugum promittebat alteri lucrum dotalium bonorum, si finito morte (\*) *rum.* coniugio, ei superstes futurus foret. Quum ergo existente con-

F

ditione,

ditione, haec promissa lucra neutiquam peti poterint, quasi testamento relicta vel codicillis, sumpta inde actione; sed potius ex pacto legitimo, quod etiam aderat tantum *l. p. C. de pact. conuenr.* Inde apparet, falli eos, qui in pactis eiusmodi V. testium numerum requirunt, inuitentes *l. vlt. §. 3. C. de Codicill.* Neque magis vera illorum videtur opinio, qui reuocandi facultatem paciscentibus indulgent, quum eandem leges seruauerint testatori in vltima voluntate, cui has conuentiones successorias vel in eo minimum similes esse conantur euincere. Equidem non dubito, quin hoc fieri aliquando potuerit mutua vtriusque coniugum voluntate, *vid. l. 19. C. de donat. a. nup.* sed idem concessum vni tantum parti fuisse, quo minus possim admittere prohibet *Novell. XXII. c. 33.* quae viro adimit facultatem immutandi aliquid testamento, circa a. n. donationis lucra semel promissa vxori, licet decies millies *contrarium moriens voluisset* ibique *GOTHOFRED. in not. Nouell. XCII. c. 2.* quod de pactis eius generis loqui existimo, quae vir, in damnum vxoris, inania reddere voluerit, dotis ideo acceptationem detrectans ac bene gnarus; sine huius illatione *lucrum* ex donatione nuptiali aliquando nullum fore, licet vel maxime promissum fuerit, *pactis dotalibus* scilicet, *Novell. II. c. 5.* alium enim modum acquirendi haec lucra, praeter pactitium, fateor me nescire, *conf. nota\*\* §. praeced.* Inde vero concludo: si pacta haec successoria reuocare licuisset vni tantum parti inuita altera, vir vxori *lucrum* promissam interuertere cupiens, neutiquam opus habuisset tot relictis ambagibus. Sed quia in eo disparia erant testamentis, in quibus hominis voluntas vsque ad mortem est ambulatoria, ideo necesse habuerunt coniuges dare fraudibus operam, vt harum ope alterum speratis commodis possent exuere.

(\*) Quum vero istum, qui, seculo renuncians, monasticam introiuerit conuersationem, mundo demortuum esse crediderint veteres; haud adeo mirandum erit, quod Iustinianus, sumpto inde argumento, eo casu lucra nuptialis donationis addiderit vxori, aequae ac si naturali morte matrimonium fuisset diremptum; cum, regulae susceprione, vir vxoris respectu haud minus iuuuiliis reddatur, quam si illum fata auocassent, *l. 13. §. 3. C. de episc. et cler. Nouell. XXII. c. 5.*

c. 5. At ramentum tunc nihil amplius remanens mulier potuit exigere, quam id quod pactis ei dotalibus, in casum mortis, fuerat promissum, reliquis viri bonis, quae extra hunc nexum erant, ad istum liberamque dispositionem eius redeuntibus, l. 56. pr. C. h. t. ne scilicet alicui pietas sua videretur damnosa esse.

## §. XXVII.

Initio has conventiones pendisse ex libero nubentium arbitrio, colligi potest ex iam saepius cit. l. 9. C. de pact. conuent. illa vero lege haec libertas in eo accepit terminos, ne talia pacta

*Intra quem modum haec fieri pacta debuerint?*

1) vel in vnius tantum coniugum fauorem vergerent, quod tamen factum fuerat olim stipulante marito sibi profecticiam dotem retinendam defuncta, in coniugio, vxore; licet eius conditio in casu mortis viri, non melior redderetur, vel 2) ne lucra mutuo quidem promissa, nimiae essent ac infinitae discrepantiae; medium scilicet haud minus turbandis connubiis aptum, quam donationes coniugales simplices; altera parte ingentia poscente comoda, recusante altera et ob id illi exosa ac destituta amore, inter coniuges fuero alias (\*). Ad haec et alia cauendum, quae aduersa videbantur aequitati et quieti in republica, sanxerunt imp. in cit. l. 9. vt integrum quidem esset coniugibus aliquam sibi ex dote et a. n. donatione partem stipulari mutuo, tunc capiendam a superstite, lucri nomine, si morte alterutrius, fuisset diremptum matrimonium; aequalitatem tamen seruarent contractantes in partibus, quas deducere in stipulationem placuisset, neque alter alteri maiorem minoremue promitteret: alioquin frustraneum fore, quod contra hanc legem constaret factum. Tamen praeter aequalitatem in partibus seruandam, nihil tunc amplius exactum fuit, neque scrupulosi adeo in quantitate imperatores fuerunt, proportionem contenti geometrica quamuis magnum vtriusque possit esse discrimen forsan, muliere interdum vel duplo maiore inferente dotem, quam, p. n. fuerat donatio: quo casu huius dimidia pars vel quarta illi dotis non magis conuenire potuit, quam tria in arithmetica numero respondent unitatis, (\*\*). Idem a parte viri accidere potuit, isto nuptialem do-

natio-

F 2

nationem amplissimam faciente, si eam cum dote mulieris contuleris. Iustinianus tamen iussit postea, ut coniuges in condendis pactis eiusmodi exactam, in quantitate quoque, aequalitatem seruarent, ne illi viderentur se magis *negotiativae circumvenire*, quam documentum dare inuicem integri amoris ac probitatis suae, *Nouell. XCVII. c. 1.* Leonianam enim aequalitatem, quae nullam quantitatis habuerat rationem, comicam tantum ac theatralem putauit, haud abhorrentem ab aenigmate, cuius explicatio requireret vel Oedipum.

(\*) Talia autem euenisse interdum ante promulgationem citatae legis, ex eius verbis potest cognosci: *et si pactum contra veritum fuerit subssecutum, infirmum atque inualidum hoc esse, ut NULLA ex eo procedere possit EXACTIO, praecipimus*; definitam nimirum lege quantitatem exigere non tantum superstes, verum ex rationis necessitate, etiam *minorem* poterat; ergo circa hanc occupari legem. dici nequit, saluis dogmatibus Logicis. Maioris vero lucri exactio negabatur, pactum licet esset; quia illius verita fuerat stipulatio.

(\*\*) Sic in *NOVELLA XCVII. c. 1.* imperator, loco exempli, adducit virum *duo aureorum millia* conscribentem mulieri p. n. donationis nomine, quae ei in dotem *sex millia* obtulerat; pactis vero quartis inuicem, iuxta Leonianam legem, vir aliquando, mortua vxore, mille et quingentos accipiebat, quae tamen si isti superstes foret, non nisi solos quingentos consequi poterat lucris nuptialis titulo. Quod Augusto improbum visum est, iustum licet fuerit et conforme antiquis legibus.

## §. XXVIII.

*Viri quomodo p. nup. donationem perdere viui poterint?*

Quamuis vero alias lucris ex donatione nuptiali spem nullam haberet vxor, nisi, quod iam diximus, mortis interuentu matrimonium finitum esset, extra hunc casum tamen idem mulieres poterant fortiri, facto cum viro diuortio, cui eius improba vitae ratio (\*) causas dederat legitimas et quarum indicem nobis exhibet *l. 8. §. 3. C. de repud. Nouell. CXVII. c. 9. Panormit. ad c. plerumque 4. X. de donat. int. vir. et vxor.* Nam vti mulieri, iisdem damnatae criminibus, dotis priuatio imminebat, tunc retinenda a viro in solatium laesi honoris eius ac in poenam fontis vxoris, ita ex aduerso a. n. donationis emolumenta ad vxorem



rem leges vertere voluerunt, si maritus, per sua vel scelera vel inconditos mores, dedisset causam coniugi rumpendi cum eo nexu coniugalis, *vid. cit. LL.* Cessauit tamen haec donationis nuptialis priuatio, si adhuc in parentum potestate vir exstiterit, ex quorum illa bonis profecta erat. Absurdum videbatur enim ac omnino aduersum iusti regulis, infantes alienis criminibus implicare ac filiorum in patres poenas dirigere, nihil tale meritos; quod tamen fuisset re ipsa factum, donationis tunc priuatione statuta, quae pars bonorum patris erat debueratque ad eum redire. Sin vero libere ad temerarium profilierant diuortium, idque ex parentum consensu, haec amissionis poena locum inuenit omnino; quum iuste iam poenam sentiant, qui haud immunes sunt culpa *Nouell. XXII. c. 19.*

(\*) In promptu itaque ratio est, quam Iustinianus *Nouell. XXII. c. 6. et 7.* fuerit secutus, si vel ob impotentiam viri, vel eius diuturniorem captiuitatem nuntium matrimonio miserit vxor; cui vltimo modo paganorum Ictorum locum fecerat subtilitas, qua passim vsi sunt in iure ciuili interpretando, *vid. l. 1. ff. de diuort.* licet Iulianus subdubiter tunc, si inter libertam ac patronum illius intercesserit matrimonium ac maritus ab hostibus fuerit diutius detentus, vanam tamen satis rationem dissensus sui allegans, reuerentiam scilicet, *l. 45. §. 6. ff. de ritu nupt.* quam ob rem hoc genus diuortii christiani postea exterminarunt merito, tantopere diuersum a Saluatoris dogmatis, *vid. hic c. 19. X. de spons. &c.* qua de re plura forsitan alio dicemus tempore. Quia enim concurrere culpa mariti debuit, si per diuortium scisso coniugio, a. n. donationis luca vellet habere mulier; quilibet intelligit, nullum usum habuisse hanc regulam, nec etiam potuisse habere, si vel natura eius imbecillior vel maior vis hostium, quorum in potestate tunc erat, impedimento illi fuisset in explendo coniugali officio. Quae causa est, quare in vtroque quidem casu matrimonii solutionem indulserit Caesar, salua tamen viro donatione nuptiali.

(\*) Insuper notandum hic venit, plus saepe mulieribus lucri obuensisse, si p. n. donationem ex causa iusti postulauerint diuortii, quam si ex patris dotalibus, lucrum tantummodo fuerint consequutae. Priori enim casu *LL.* ex odio erga maritum et in poenam ipsius, vxori omnia concesserunt bona, vel integram quantitatem, quae ei oblata quondam erant, a. n. donationis titulo; ista licet haud plus fuisset habitura ex instrumentis dotalibus quam vel partem di-

midiam tantum vel etiam minorem. Quod autem eo casu mulieri haec data fuerit donatio, tanquam priuata poena, non quasi exstitisset conditio matrimonii soluti ex dotalibus pactis, quae hoc ei lucrum attulerit, id vel inde cognoscitur: quod in casu, si instrumenta dotalia plane defecerint, nihilo tamen minus vir damnatus fuerit ad quartam suarum facultatum partem soluendam ei, vsque ad centum libras auri, *Novell. XXII. c. 18.* Vade neque tunc puto ex pactis cum illo actum fuisse, etiam si vel maxime talia adfuerint, vt pote professo hoste honestatis ac fidei coniugalis. Praeterea discrimen insigne elucet inter eum, qui, suis flagitiis, diuortium meruit et istum, qui nimio pietatis seruore monasticam praeoptans vitam, vxori ac mundo simul vltimum vale dicit: nihil enim hic amplius dare obstrictus est fuisse, quam relinquit, coniugi, praeter id, quod in mortis suae euentum, pactis dotalibus, lucrum promiserat *L. 56. pr. C. de episc. et cler. Nouell. cit. XXII. c. 5. conf. his Nouell. CXVII. c. 10.* cuius tamen fauoris priorem ne dignum quidem leges iudicant, iuxta ea quae modo diximus. Tamen si extra casum mortis solui contigisset matrimonia, iussit imperator: vt coniux, cui accesserat tale, ex diuortio, lucrum id, saluo vsufructu sibi, omne seruaret filiis (i. e. vtriusque sexus liberis, quam interpretationem sustinet *l. 5. C. de secund. nupr.*) nequiquam vero alienaret; quamuis alias hac coniuges facultate gaudebant, lucrum post mortem alterius capientes, si ad secundas non venissent nuptias, *Novell. XXII. c. 30.* Ratio videtur mihi haec fuisse, quae legem hanc suaserit: facto diuortio exigua spes remanebat liberis, ad patris venire aliquando facultates, quem ob matris memoriam, tunc infestae sibi, sobolem quoque ex illa genitam odio esse habiturum praesumptio erat. Itaque ne nimis illi parentum mutua sentirent odia, sibi tam tristitia ac damnosa, hac interdicta alienatione dubiis eorum rebus opitulari lex ex parte aliqua voluit.

## §. XXIX.

*Ius vxorum in  
hac donatione  
post virorum  
obitum,*

Superius §. XXIV. mulieri in p. n. donatione ciuile attribuimus dominium, quod istae tempore matrimonii habuerint et viris nondum vita functis. Nunc vero se alia offert quaestio: *quale ius, post obitum maritorum, illis remanserit in eiusmodi bonis?* quae varie respondenda est, pro varietate scilicet circumstantiarum et temporum. Si enim mulieri donatio haec vel pars eius aliqua in lucrum cessisset viro mortuo, quod per pacta dotalia fieri debuisset tam §. XXVI. quam nota \*\*, §. XXV. subiecta, docuimus,

cuius, plenum eius nanciscebatur dominium liberamque habuit alienationem, tam inter viuos, quam mortis tempore, dummodo abstineret repetitis alterius viri amplexibus ac secundarum nuptiarum fugeret solemnia. Superantibus autem continentiam eius carnis concupiscentis ac illam rapientibus in thorum alterius viri, amissa horum proprietate bonorum, tantum vsufructu gaudebat, quamdiu viveret, dominio ad liberos prioris coniugii iam deuoluto, *l. 5. l. 6. §. 1. l. 8. §. 3. C. de secund. nupt. Nouell. XXII. c. 23. et 24.* qua quidem facultate fruendi ista nec digna putabatur, quae, nuptiarum festinatione, non praesitisset luctus religionem priori viro taedasque coniugales accendisset quasi in rogo istius, *Nouell. cit. c. 22.* quod tempus lugendi anni spacio definitum a Theodosio fuisse *l. 2. C. de sec. nupt.* prodit, quum, ex Romuli instituto, antea decem menses sufficerent *vid. Dion. Gothofred. ad cit. legem.* Iustinianus postea primus veterem morem soluit, adimendo mulieribus proprietatem in a. nupt. donatione, siue ad secundas nuptias venerint, siue etiam non, *Novella XCVIII. c. 1.* cuius tamen consilii mox eum poenituit, vnde constitutum legitur in *Novella CXXXVII. c. 3.* vt illa, quae, seruata priori fide, secundas euitasset nuptias, ex hac viri largitate virilem teneret portionem cum filiis, omni, in ista parte, proprietatis iure gaudens; in matronalis scilicet praemium castitatis. (\*)

(\*) Sed multo tempore post Leo imp. cognomento *philosophus* in *Constit. XXII.* mulieri, secunda vota spernenti, partem vnius liberorum vindicauit ex omni substantia, a defuncto viro, relicta; siue donationis nuptialis veniat nomine siue bonis constet, quorum iste vitra hanc, possessionem habuit. Verum quia, praeter Corpus iuris Iustinianeam, posterior Graecorum Iurisprudentia in foris nostris exultat; ideo non est, quare valde solliciti simus in conquirendis, circa hanc rem aliorum Caesarum legibus; quem laborem in praesentiarum cuiusuis relinquimus arbitrio.

## §. XXX.

*Quasnam actionem vxor, hanc donationem petens, instituerit?*

Ventum prope ad finem est suscepti operis, istum tamen moratur vnica adhuc res, quam expedire oportet, antequam ei colophonem imponamus, scilicet: *quasnam moueri actio debuisset ab vxore, ad consequendum propt. nupt. donationem?* Sin hic quaestio esset de prima constitutione eius, ad quam vir vxori, dotem offerenti, ex legis necessitate obligatus erat, iuxta §. XXI. supra, facilis forsitan esset responsio, illam agere vel ex stipulatu potuisse, vel ex pacto, quum post l. 35. §. 5. C. de donat. etiam in simplicis donationis promissione petitio ex nudo pacto habuerit locum. Maior vero tunc oritur dubitatio, si viro mortuo a. n. donationis lucra habere vxor voluerit ex pactis dotalibus? vbi quidem rursus ex pactis hae actio se offert, quae quamuis per se sit personalis, heredes tamen viri qua tales stringit; quum defuncto, vti in bona, ita in obligationes quoque succedant, arg. l. 59. et l. 62. ff. de Reg. iur. contingere tamen saepius potuit, illos ad solutionem non esse idoneos, vel ipsum maritum ante obitum haec bona dotalia aliis vendidisse aut oppignorasse, quorum neutrum fauere videbatur vxorum commodis. Ipsos Romanos iudices hic fluctuasse in suppeditando vxoribus auxilio, videre licet ex Nouell. LXI. §. 1. aliis in rem actionem eis dantibus, iterum negantibus aliis. Quorum opiniones diuersas vt eo melius intelligere possimus, iuuat rem paullo curatius considerare. Supra §. XXIV. asserui, per traditionem a. n. donationis civile dominium in vxorem transfuisse virum, si re immobili ista constiterit, neque adfertur huius haecenus poenituit; veritati enim me, hac sententia, aliquid nequam detraxisse, vel praefens Latii Ictorum dubitatio persuadet, circa hanc actionem inter eos exorta. Constat enim iure ciuili duas actiones fuisse proditas, quibus vt potuerit dominus ad consequendam rem in suo existentem dominio cuius tamen possessione exciderat quorum altera ipsa rei vindicatio erat, altera Publicianae in rem actionis veniebat nomine. Prior ob multas, quibus inuoluta olim erat, ambages paucis commoda, facilius altera erat.

erat. In *Publiciana* enim nihil praeter iustum titulum et traditionem desideravit praetor, cum probatione domini auctoris mei insuper opus esset in *vindicatione*, quod difficillimum, vel usucapionis allegatione; ad quam vero vxor prouocare nunquam potuit. Licet enim traditio ei olim fieret a viro, tamen haec schematica tantum erat, nec isti quicquam de possessione auferrebat vel fructibus, quam diu viueret, excepto solo casu quem §. XXII. produximus; ergo possessione destituta quo iure in usucapione se potuisset fundare, statim post viri obitum, vel matrimonio intra paucos dies vel mentes dissoluto? nisi quis ei *ciuilem* quandam competiisse, adstruere velit. Quare *Publiciana* actione mulierem adiuuari posse, contra tertium agentem crediderunt quidam, qui bonam fidem pro se allegare vix poterat; quorum tamen alii repudiarunt opinionem, ideo, vt puto, in diuersa distracti: quia, *traditionis* ritu sublato per Iustinianum penitus, in donationibus illis modus videbatur deesse transferendi in vxorem domini. Verum nihil his motus imperator, priorum probauit sententiam, imo in cit. *Nouella LXI.* vindicationem ipsam dedit vxori si *immobilibus bonis* haec constitisset donatio. Vnde haud absurdum erit dicere: mulieri tunc ciuilis possessionis iura fuisse data. Dabium superest; quam ista actione potuerit litigare, si vir quantitatem tantum pecuniae constituerat, ommissa tamen bonorum designatione certa, vnde haec sumi potissimum debeat? Verum ex quo *tacita hypotheca* roborata est haec donatio *Nouella CIX.* c. 1. ambiguum esse nequit, mulierem aduersus heredem vel alium quemcunque possessorem hypothecaria actione potuisse experiri (\*)

(\*) ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ lib. XXIX c. 116. p. 539. Edit. Paris. Fabroti  
 γυνή καὶ συνιστάμενων ἐπὶ τῶν γάμων, ἰὰν ἀπορον ᾖ τὸν ἀν-  
 δρα, δύναται ὑπὲρ προικὸς καὶ προγαμιαίας δωρεᾶς καὶ ἕξω  
 προικῶν διακεκτήσασθαι τὴν αὐτῆ ἕσταν, ὡς ἀπὸ ὑποθήκης.  
 Mulier etiam constante matrimonio, si maritum videat ad inopiam  
 deductum, pro dote et ANTE NUPTIAS DONATIONE rebusque extra do-  
 tem constitutis, bona eius, iure hypothecae, retinere potest. Quod  
 autem vltima verba de *tacita hypotheca* accipi debeant, neutiquam  
 de expressa, vti forsitan in l. 29. C. de iure dot. graeca particula ὡς  
 indi-

indicat, qua similitudo duarum rerum exprimi solet, quae tamen inter se differunt. Sensus igitur est: vxorem, ob ante nupt. donationem, bona mariti eodem iure retinere posse, ac si ista ei *expressè* obligata fuissent hoc nomine. Licet vltimum nunquam fuerit factum. Praeterea graecus scholiastes THEODORVS ad haec verba ita commentatus est: *ὑποτεθειμένη γὰρ ἔχει (γυνή) τὴν τῷ ἀνδρὶ ἑστίν ἢ ἀπὸ ἰδιῶν συμφώνων, ἢ σύμμερον καὶ σιωπηρῶς*, h. e. *obligata enim habet (mulier scilicet) bona mariti, vel ex speciali conuentione, vel hodie etiam TACITE. ibid. pag. 655.*

## §. XXXI.

*Quae actio  
contra mari-  
ti creditores  
locum habue-  
rit?*

Respectu aliorum creditorum quidem *quasi Seruiana* pariter ei proderat, saluo tamen antiquiorum iure, quod imperator nullo modo interuertere eis voluit, *L. 29. C. de iure dot. L. 12. § 2. C. qui pot. in pignor. hab.* vbi conferendus simul Graecus interpres *Synops. IX. tit. V. & X. Nouella XCVII. c. 3. et CIX. c. 1.* Interim vero hic denuo recurrit dubium, quod se iam obtulit in §. XXI. quodnam ius vxor tunc habuerit, aduersus mariti creditores allegandum, si vir detrectauerit hanc olim donationem prorsus, oblatam vxoris dotem respiciens, postea autem bonis exciderit? iam cit. §. dictum hanc liberalitatem neutiquam pependisse ex solo virorum arbitrio, verum semel introductam lege, frustraneam eius negationem fuisse, quum *neccessaria* praestatio fuerit. Inde liquere poterit: mulieres, huius causa donationis, *tacitam* hypothecam acquisuisse in bonis maritorum, oblatione dotis facta tantum, profuturam aduersus creditores viri quoque, posteriores tempore. Nam si haec se aliter res habuisset, lucra per *Nouellam XCI.* promissa vxoribus post mortem maritorum, illi centies potuissent eludere, vel abliguriendo proprium patrimonium vel debita contrahendo inania ac simulata tantum. Quae tamen a prudentissimo Caesare ac iurium callentissimo haud animaduersa fuisse, Iudaeus apella credat. Obicem potius positum fuisse, fraudibus hisce ac nequitiiis maritorum, per tacitae hypothecae priuilegium, indultum vxoribus, nulla dubitandi superest ratio amplius.

CAPVT II.



## CAPVT II.

DE VSV PROPTER NVPTIAS DONATIONIS  
IN GERMANIA.

## §. I.

**P**lurimum chartae ac temporis insumpsimus, in iuribus explicandis *p. n. donationis*, cuius, quamdiu vasta illa Romani imperii moies inconcussa steterit, vsus quoque viguit; verum ex quo barbarorum gentes finitimae iuga quateremque Latii dominationem interuertere ceperunt, ipsa vrbe iugiter occupata et incensa, alia legibus fata, quam patriae suae, vix esse potuerunt; sed tribunalibus alieno iure resonantibus, istae paullatim vel in obliuionem abiere, vel illo insertae ita mutarunt pristinam faciem, vt iam ipsis quoque Romanis ICTis cognitu essent difficiles. Quum tamen constet, ius ciuile regnum sibi vindicasse in Germaniae iudiciis, iam ab aliquot seculorum decursu, siue expresse receptum siue tacite, accedente postea vsu forensi, non immerito quaestio moueri poterit: *numne etiam P. N. DONATIO apud Germanos exstet, cui, quae longa serie hactenus disputauimus, applicari possent?* Verum hic fateri oportet, illam non magis apud nos in vsu esse, quam inter Italos veteres istae consuetudines, quibus Saturni aeuo, Latium regebatur. ICTorum tamen sectae, super ea re, in diuersa abierunt, quibusdam totis viribus propugnantibus apud nos vsum eius, negantibus aliis ac, praeter nomen, vix aliud quid ex illa superesse agnoscentibus. Superfluum foret vtrorumque aciem exhibere et nomina. Praestitit iam hoc optime V. Cl. HOFFMANNVS in iam superius cit. *Diff. de donat. p. n. §. VI. Conf. B. STRYCK in V. Mod. ff. tit. de iure dot. §. 14. Ill. Dn. BOEHMERVS in I. Eccl. Prot. Tom. IV. lib. IV. tit. 20. §. 45. sqq. et Ill. Dn. PRAESES in Iur. Germ. Tit. XI. §. 243. seqq.* Operam ergo id esset ludere hanc iterum telam inchoare velle, optime iam a doctissimis illis viris aliisque pluribus abolutam. Verum ne plane ἀσύνθολος videar discessisse, pauca

*Propter  
nupt. dona-  
tio num in  
Germania ob-  
tineat?*

tantum repetere placet ex eorum scriptis, quaedam etiam addere. Licet enim haud raro accidere soleat, quorundam inter se sententias conuenire, ratio tamen statuendi minime potuit communis esse, aliis alio innitentibus fundamento.

## §. II.

*Dotem ap.  
Germanos  
maritus vxori  
offert.*

Dotem obtulisse maiores nostros vxoribus suis, tantum non omnibus notum est, qualia etiam bona *dotulirii* veniebant nomine. Finis erat, vt haberent istae, vnde in viduitate tueri dignitatem possent, vid. Ill. Dn. PRAESES Tomo. I. *Iur. Germ. §. 249.* Innumera prostant exempla passim apud veterum monumentorum collectores, quae tales *dotēs*, a viris factas vxoribus, nobis exhibent. Explicant de illis communiter eruditi famosum Taciti locum *de Mor. Germ. c. 18. Dotem non vxor marito, sed vxori maritus offert* &c. sed res digna altiori indagine est, quum euncta, quae ibi leguntur, vix huc possint referri. Non quidem diffiteor penitus, scriptorem ita incipiendo, *dotulicia* (\*) Germanorum describere instituisse; verum, quae sequuntur, verba indicant: istum longe aberrasse a scopo quem intenderit, ignorantia iuris peregrini diuersa commiscens. Dum enim sigillatim vult enumerare ea, quae accipiant mulieres, boues nominat, et frenatum equum et scutum cum frama gladioque. Parua credo solatia futurae viduitatis! imo dum armorum mentionem facit, haud obscure prodit: haec ad solemnia quaedam nuptiarum pertinuisse magis, quam ad *dotulitium*. Nam et similia vxorem dedisse marito nouo enarrat, cui tamen armorum vsus minus conueniens, et de qua paulo ante edixerat, ipsam dotis nomine nihil viro attulisse; subiicit porro: *hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur.* Fungum me credam, nisi haec arrhas sponfalitias (\*\*\*) respiciant, aut nuptialia dona, quorum quaedam forsan, ex mariti parte, *Morgengabent* (†) vel significant, vel ei dederunt postea causam. Mox horum omnium mysticam addit interpretationem laudatus auctor et tandem concludit his verbis: *accipere se quae liboris inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.*

Sed



Sed cuncta haec Doti vel dotalitio haud videntur conuenire, de cuius fructibus vxor vidua facta, se digne exhibere debuit. Si-  
gna crederem potius legitime contracti matrimonii, ideo quoque  
in liberos transmittenda ac nepotes, vt probationis fungerentur  
loco, et sanguinis a maioribus ducti et atauitae virtutis.

(\*) *Dotis ac dotalitii* vocabula synonyma esse, probat diploma vetus de  
anno MXXVI. quod nobis LVC. DACHERVS exhibet in *Tom. VII.*  
*Spicil. p. 203.* et *LL. Normann. lib. II. c. 47. §. 2.* in *Tomo VII.*  
*Reliqq.* editae a Per III. Dn. de LYDEWIG, cuius olim contubernio  
fuit, per triennii spacium, mihi licuit; et vinam deus tam ipsi, quam  
moestissimae eius familiae, iam matris auiaeque lugenti obitum, fata  
concedere faustiora velit. Conf. quoque III. Dn. ROEHMERVS *Tom. IV.*  
*lib. IV. tit. 20. §. 45. Iur. Pror.*

(\*\*) Ad ita statuendum sequentia Taciti me inducunt: *munera non ad  
delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nuptia comatur, sed &c.*  
lumen haec, si cum Romanorum contuleris moribus, inde insigne  
accipient; vbi iterum repetenda ea, quae supra *Cap. I. §. 6. not.* (\*)  
de arhis scripsimus, Romae dari consuetis, quarum maior pars ad  
cultum spectabat muliebrem, neuiquam ad rem familiarem, vti  
apud Germanos; quod ibi probauimus, eleganti Capitolini loco.  
Auctor itaque noster hic munera nuptialia descripsisse videtur,  
inter Germanos vitata, quae cum illis Romanorum conferre vo-  
luit. Talis enim comparatio de dote maritali Germanorum ideo  
non poterit intelligi, quia illam tunc Latium ignorauit penitus.  
Propter nuptias enim donatio, quamuis vere hoc nomen mereatur,  
tamen Taciti aeuo non poterat in censum venire, plura secula  
post vix cognita demum. Deinde morem hunc Germanorum, equos  
offerendi sponsae inter nuptialia dona testatur quoque epistola THEO-  
BERICI, regis Ostro Gothorum, ad regem Thuringiae, HERMANERI-  
DVM, qui Gothorum regis cognatam Amalabergam vxorem du-  
curus, haec illi munera, per legatos in Italiam misit: *Quapro-  
pter salutantes vos gratia competenti, indicamus nos ve-  
nientibus legatis vestris, impretriabilis quidem rei, sed more  
gentium, suscepisse pretia destinata, eosque argenteo colore vestitos,  
quales decuit esse NUPTIALES, &c.* In *LL. Vili-Gothorum lib. III.*  
*Const. V.* quae de dote maritali agit, fit aequae mentio XXX cabal-  
lorum aliarumque rerum, offerendarum mulieri a viro; tamen  
haec ibi probe secernuntur a dote ista ac haud obscure aliis donis  
sponsalitiis accensentur. De armis in veterum Sueo-Gothorum  
nuptiis adhibere consuetis notatu digna habent OLAVS MAGNVS  
*Rerum Septentr. lib. XIV. c. IV.* et LOCEN, in *Antiquit. Sueo-  
Goth.*

Goth. lib. II. c. 24. p. 109. quos scriptores allegat Ill. Dn. PRAESES in *Jur. Germ. Tom. I. lib. I. tit. X. §. 210.* Verum enim vero si fas est edicere ea, quae circa hoc Taciti caput sentiam; male videntur cohaerere verba: *Dotem non vxor marito, sed vxori maritus offert. Inter sunt parentes* &c. putarem ergo post verbum *offert*, quaedam deesse, quae partim dotium explicuerunt apud Germanos naturam, de quibus ceptus sermo erat, finitus nondum; partim praeter dotes alia munera retulerunt, quorum in Germania vsus aequè obtinuit, sub matrimoniorum auspiciis. Nam quae de vltimis extant adhuc, carere videntur initio. Sed haec doctiorum commendo curis, quorum ad manus et manuscriptorum codicum, et antiquarum editionum adest copia; quorum neutro tamen meae fruuntur mullae.

- (†) Operosus hic esse nolo in discutienda quaestione: *num dos maritalis Germanorum distincta fuerit a morgengaba, an vero, nominis tantum, non rei, adsit diuersitas?* Vtramque tamen neutriquam pro eadem posse haberi, iam ostendit Ill. Dn. HEINECCIUS in *Jur. Germ. Tomo I. lib. I. tit. X. §. 215.* Licet Burgundionibus, Sueo-Gothis ac Longobardis aliud placuerit, quod tamen exceptionis loco ponendum est, quae regulam firmat, non evertit. Id tantum adicere liceat: constat ex plerorumque testimonio, morgengabam donum matutinum fuisse, nouae nuptiae, altero nuptiarum die, oblatum a viro; docet id, praeter alia, formula apud IVSTVM FONTANINI in *Vindic. antiquor. diplom.* qua morgengaba vocatur, PRETIVM IN MANE, *quando surrexit de lecto*, conf. quoque Per Ill. de LVDEWIG in *Opusc. de dote mariti sect. de morgengaba*, §. 10. Verum enimvero, talia dona etiam ipsis Romanis in vsu fuisse, iam supra *Cap. I. §. 6. not. (\*\*)* diximus probauimusque Iuuenalis loco adducto. Dotes tamen Germanorum Tacitus, tanquam rem incognitam plane Latio, describit; quod haud potuisset fieri, si cum morgengaba vnam rem constituissent, parum recedente a *Σεσπίτης* romanis siue remunerationibus pro *prima nocte*. Vnde argumentum ad diuersitatem vtriusque rei duci omnino posse videtur. Nescio itaque quomodo ex ipso hoc Taciti loco aliqui colligere potuerint: dotis maritalis ac morgengabae differentiam olim Germanos nullam agnouisse. *vid. Per Illustr. de LVDEWIG in Opusc. de dote mariti Sect. de morgengaba §. 13. et praeced.* Diximus, ex illis quae Tacitus recenset, forsitan quaedam pertinuisse ad *morgengabam*. Nolumus quidem hanc alicui sententiam obtrudere; tamen quum iste inter dona boues nominet et frenatum equum, potuit posterioribus forsitan seculis apud Saxones consuetudini locus inde factus esse, vt res tales accensitae fuerint morgengabae. Verba enim speculatoris Saxonis nota sunt LANBR. *lib. I. c. 24.* ad morgengabam *da geborn*

geboren zu alle Feld-Pferde, Rinder, Ziegen vnd Schwein &c. sed, ne quid nimis.

## §. III.

Offert se de DOTALITHS Gallorum Iulii Caesaris locus insignis lib. VI. de B. Gall. c. 19. Viri, inquit, quantas pecunias ab vxoribus DOTIS nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum DOTIBVS communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars vtriusque, cum fructibus superiorum temporum, peruenit. Tamen quia in eo dotis vxoriae fit mentio, quam adhuc suo aeuo Germanos ignorasse Tacitus refert, ille potest quidem de Galliae tunc moribus testari, Germaniae non aequae. Certiora, de vltimae iuribus, adferunt nobis LL. antiquae, quae de dotium maritalium vsu, recepto inter Germanicas gentes ab antiquissimis iam temporibus, nos dubitare non sinunt, vid. Ill. DN. PRAESIDIS saepius iam laudatum *Ius Germ. Tom. I. lib. I. tit. XI.* vbi singulorum populorum consuetudines, in hac re, referuntur. Sed haec maiorum instituta, procedente tempore, cuncta fere fascinavit, Romanorum iurisprudencia. Videntes enim Germani, illos vxoribus suis p. n. donationem constituere, hanc protinus eandem esse crediderunt cum dote sua maritali siue dotalitio, quamuis vtriusque finis diuersissimus fuerit. Donatio p. nupt. enim de alimentis durante matrimonio vxori cauet, dotalitium vero viduum illi assignat, demum post viri mortem. Quid mirum ergo, si iam vetustissimis seculis, iura, donationi Romanae propria quondam, huc traxerint applicuerintque dotalitiis. Insigne exemplum huius rei iam produnt LL. WILGOTHORVM lib. III. *Const. V.* vbi maritus adigitur, tantum ex bonis suis dotalitium vxori constitutur, quantum ipsa ei dotem attulerit; licet id olim virorum arbitratui fuerit relictum. Ipsa legis verba ita sonant: *Aut si forte, iuxta quod et LEGIBVS ROMANIS recosimus fuisse decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari poposcerit.* Auctor eius satis indicat; ita statuendo ipsum in animo habuisse *Nouellam. XCVII.* qua p. n. donationis

Confesto inter dotem maritalem Germanorum et p. nupt. donationem facta.

ac

ac dotis quantitates ad aequalitatem redactae. Igitur dotalitium p. n. donationis nomen tunc demum meruit, si dotem mulier intulisset; quamvis postea indistincte ita fuerit appellatum. Ceterum non possum, quin ab eorum hic sententia discedam, qui in Germania p. n. donationem distulisse putant a dotalitio ac utraque exigendi facultatem uxori tribuunt. Praeter effectus enim vtriusque, qui apud nos fere coincidunt, licet alias non possint non discrepare, si quaelibet res iuxta patriae suae iura aestimetur, contrarium quoque adducta lex Gothica docet. Agit enim de dote maritali, Germanis tantum non propriaeque in casu illatae dotis ab uxore, et si ista hoc velit, iura quaedam p. n. donationis applicat tantum; neutiquam vero maritum duplici graua onere, quod doctissimis quibusdam placuisse memini.

## §. IV.

Probatur ista  
variis exem-  
plis.

Iam non adeo multa admiratione erit dignum, si medii aevi tempore nomen p. n. donationis nunquam non interpretandum veniat de nostra dote maritali. Maiorum enim simplicitas auctor huius confusionis fuit, posteritatis ignorantia propagavit. Docent et probant haec, quae diximus, charta apud DACHERIVM tom. III. spicil. p. 558. ed. nouae; deinde alia apud Per III. Dn. de LYDEWIG de anno McccXXVII. in tomo VI. Reliqq. m. aevi p. 39. Porro c. 15. X de foro comp. vbi Honorius III. papa, in causa Angliae reginae, verbis dotis, dotalitij et p. n. donationis promiscue vsus est, ostendens satis eo: inter populos originis Germanicae haec inter se minime distincta esse, quamvis Romanus forsan pristini aevi risum haud tenuisset, talium vocum audiens commixtionem in iure exotico, cui cum suo haud maior conuenientia, quam quae inter calceos nostros et illos veteris Latii deprehenditur. Simile exemplum LEIBNITIVS Tom. I. Cod. dipl. p. 40. exhibet, vbi Albertus I. imp. id, quod filius eius, Rudolphus, forori regis Francia, sponsae suae, promittit, DOTALITIVM vel DONATIONEM PROPTER NVPTIAS vocat. Sed sufficient haec, cum talium nimis magnus numerus exstet, quam ut vna plagula vel possint cuncta adduci, vel etiam necesse sit.

## §. V.

## §. V.

Verum, si appellationem exceperis, haud adeo multa Germanorum dotalitia assumpserunt ex ista p. n. donatione. Ex quo enim Romani iuris notitiam populi isti habuerunt, ex eo etiam tempore apud nos nomina innotuerunt *der Wiederlage, Gegensteuer, Gegenvermächtniß, Gegengeld &c.* quae singula antidotis respondent vocabulo, Romae usitato quondam. Id tamen inde in Germaniam peruenit, ut iam vxores doti suae aequalia dotalitia exigent, quod inauditum olim fuerat, uti iam §. 3. b. c. diximus. Nescio autem, anae hoc vltimum inter solos illustriores in ius iuerit, cuius rei exemplum Ill. Dn. PRAESES habet in *Iur. Germ. lib. I. tit. XI. §. 252. in nota* et plura LVDOLPHVS in Adpend. libri *de iure femin. illustr.* ibi citatus. Certe aequalitas haec dotis ac dotalitii haud aequae seruata inter priuatos videtur, nec hodiernum obtinet, *vid. B. HOFFMANNI dissert. de donat. propt. nupt. §. 6.* qui plurium ICtorum in eo testimoniis vtitur. Ceterum alia dotalitii iura et effectus cum illis p. n. donationis iam sigillatim contulerunt, ac eorundem inter se ostenderunt differentiam Ill. Dn. BOEHMERVS in *Iur. Prot. Tom. IV. lib. IV. tit. XX. §. 46.* et iam nominatus HOFFMANNVS *c. l.* ex quibus sine praecudio rem aestimanti facile constare poterit: hanc nuptialem donationem in patria nostra vel pridem in obliuionem iterum abiisse; vel, quae nostra sententia est, numquam in ea ita, uti in Romano olim imperio obtinuit, fuisse receptam.

T A N T V M.



# DOCTISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**uas mihi exhibuisti, meditationes de donationibus propter nuptias, ita ego comparatas reperi, vt iniuriam TIBI facere visus essem, si circulos tuos emendationibus quibusdam vel interpolationibus meis turbare voluissem. Malui hanc laudem in solidum TVAM esse, quod sententiam illam, quam in hac dissertatione promis, TVO Marte et inuenieris primus, et in chartam conieceris, et in frequente doctorum virorum iuuenumque corona strenue defenderis. Discedis ab aliorum interpretum sententia: sed modeste; vt qui nec aegre feras, alios suam a TVA hypothesei seiuungere sententiam. Id semper licuit ac licebit erectioribus ingeniis: et nescio, an non multum decessurum sit melioribus litteris, earumque incrementis, si illa ingenii periclitandi libertas eriperetur. TVVM ergo est, quidquid hic legitur, et ita quidem TVVM, vt nullas ne emendandi quidem partes mihi vindicem. Vere ergo ex hoc specimine, docto profecto ac elegante, iudicabunt lectores, et patroni, qualis sis, et quid patria de ingenio Tuo ac singulari industria sperare possit. Ego vero TIBI id specimen eo animo, quo TE semper complexus sum, id est candido TIBIQUE benevolentissimo gratulor, DEVMQUE precor, vt et in posterum adfit studii TVIS, eaque aliquando patriae TVAE praesidio esse iubeat atque ornamento. Halae Magdeb. ipfis Idib. April. MDCCXXX.

02 H 1003

ULB Halle

3

003 101 517




60.









1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue		
Cyan		
Green		
Yellow		
Red		
Magenta		
White		
3/Color		
Black		

IVRIDICA,  
 MANA  
 AS DONATIONEM  
 VRA TANTVM,  
 DE  
 INECCIO, IC.  
 NSIL. INT. ET IVR.  
 P. ORD.  
 NIS H. T. DECANO  
 DERICIANA  
 MDCCXL.  
 RVM EXAMINI  
 VR  
 MUNDO Wigleben,  
 VD.  
 AXONE.  
 BVRGICAE  
 VNERTI, ACAD. TYPOGR.